Alexander.

...iensis

Wilkoszowski Ant. franc. Navigium Classium Novodvorssianarum.


C
V V V
X X
L L
I
D
M

NAVIGIUM
Classium Novodvorscianarū
AD METAS
RASTRO GENTILITIO
CELSISSIMI PRINCIPIS
ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI,
D. JOANNIS
COMITIS in LIPE
LIPSKI.

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI Cracoviensis, DUCIS Severiæ,
SUPREMI REGNI POLONIÆ
PROCANCELLARII,
Vniversitatis Cracovień: CANCELLARIJ
ET PROTECTORIS FAVENTISSIMI,
Circa suum solennem Ingressum
AB ACADEMICA JUVENTUTE

Operâ
M. ANTONIJ FRANCISCI de Wilkoszowice
WILKOSZOWSKI,
Ph: Doct: Dialectices in Classibus Novodvorscianis Professoris
Contubernij Philosophorum Senioris
EXPEDITUM.
Annô quô
CrVX est eXaLtIs mVndo Data Meta SaLVtis
Die 12. Ianuarij.

Typis Collegij Majoris Universitatis Cracoviensis.


Cœli inde favores.
Hoc monstrat quo pello ratem
Palladiæ navi ductrix, fit Stella Joannes.
Palladis ad navim dat lumen sidus amicum
Hinc Zephyros virtutis habet
Qvilibet ex istis est magni fluctus honoris

CELSISSIME PRINCEPS
ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE.

NUnquam ſcientiarum Pontus Xerxempatitur, & potiſſimum ad Celſiſſimam Honorifici Tui ſplendoris augem tumentibus lætitiæ non ita intumeſcit procellîs, ut liberum Claſſibus Novodvorſcianis prohibeat Navigium. Aſſurgit ille & in Tuos æſtuat plauſus, malaciam tamen ſpondet, quia à Tuis favoribus Zephiros habet. Et quamvis ſolennis Tui Ingreſſûs die à ſuo Claſſes noſtræ non ſubſiſtant navigio, dabis indulgentiam ANTISTES CELSISSIME, ſi & libertatem Polonæ Juventutis, & noſtram otij fugam inſpexeris. Permittes e-

ru-

rudito æquori exultantium in plauſus Tuos mentium committere cymbas, paginas pro velis pandere pennis pro remis uti, & felix devoto ad diem honoris Tui ſpiritu impelli navigium. Sic Tuæ gloriæ ſolenne celebratur, dum Tuis allaboratur plauſibus. Nec ingreſſûs Tui violatur feſtum, in quo erudita velificatio terminatur Sirtes Charybdeſq; non veremur, qui Gentilitiũ RASTRVM pro Anchora tenemus. Præſulea Tua Purpura ſerenum nobis ominatur ſudum, & locuples ex Nominis ethymo gratiarum affluentia ſpei noſtræ carinas in ſicco ſiſtere non permittit. Huc primos ſcientiæ fontes Piotrovius, Apollo Caſtalim, Tullius Eloquentiæ latices, Eurippum congeſſit Ariſtoteles, ut totis remîs & velîs Tuo allaborantes honori velificare audeamus. Hinc imprimis quò rates noſtras publicæ Tuo Nomini applaudentis famæ ducit echo, non Sirenũ, ſed amænarum ad Tuum Ingreſſũ Camænarum allecti ſonô Tuas Claſſes Novodvorſcianæ appellunt plantas, Tibi ita ſuppedaneæ ſpondemus.

CELSITUDINI VESTRÆ

Humillimi & Obſequentiſſimi Servi
PROFESSORES Novodvorſciani

PANEGYRICUS

PRæſtolantibus inter tot diuturnæ expectationis tædia votis noſtris, venit tandem una dies in qua dum ſe Tibi PRÆSULEUS gratulatur honor, nemo eſt, qui ſuæ felicitati non applaudat. PRINCEPS CELSISSIME. Coronatus quippe trino diademate Vavellus non tam priſtinâ altitudine, quàm Tui honoris turgens Celſitudine Tibi PRÆSULEUM conſcendenti Thronum factus ſuppedaneus, licet ſi non Tuæ gloriæ, ſed multorum ſit Meta fortunæ. Ille ſingulis ad Jubilum ſuæ ſortis geſtientibus ſcopus eſt, in quo Tu PRINCEPS & PRÆSUL conſiſtis Tiaratus. Hodiè diadematibûs Ejus

omnium coronantur vota, quem Tu Te Ipſo coronâſti. Intra redimitum Cathedræ Tuæ ambitum, intra Regij montis peripheriam, Tu publicæ fortunæ conſiſtis punctum, ad quem optata ſingulorum deſideria, ceu lineæ ad centrum circuli ordinentur. PRÆSULEO Pedô in Sacris Purpurati ceruſſâ martyrij Sangvinis olim Cracij PASTORIS STANISLAI buſtis fauſtitatis perfectæ notas characteres, ut ex illis ſinguli legant applauſum. Tua Infula hianti ore ex Te JOANNE Conſtantino ſuccedente conſtantiam gratioſioris declamat fortunæ. Mitra Tua diem hunc, quem cum Tuis imponis temporibus Principem inter feliciores facit. Ducalî gladiô tutamen ſpondes, Senatoriâ Purpurâ, quâ in Polo Lechico Phæbe nites, favorabiles Zephyros non Aquilones pollicetur, quibus afflantibus ad felicem metam quævis poſſent pervenire carinæ. Sic progrederis PONTIFEX CELSISSIME, ut Tibi cuncti Vavellanæ poſſeſſionem Cathedræ, ſibi hæreditarium fortunæ jus gratulentur. Spectat Te Suum Patria Filium, & illico PATREM veneratur, cui tantùm accedit gaudiorum, quantum ad Cathedram ſuſcitâſti pulverum. Singultus, ſi quos inter tot rerum viciſſitudines lachrymoſa fecit, mutat in Jubila, quam publicîs ſolaris plauſibus, & dum Te habet, quô à Superis, muneretur habet, & quô Superos munerare poſſit: ut ſibi ſint propitij. Nec Te ſola ſuum Statorem habet Patria, habet & fidei Propugnatorem Eccleſia, & eò abundantiori perfunditur lætitiâ, quò Celſiori Te ſuccedentem Tiaræ, eminentiori inſidentem Throno promulgat PONTIFICEM. Exuit pullatum mærorem, & triſtitiæ Syrma deponit, Tua

Diœ

Diœcesis, Vestem assumit nuptialem, dum Tibi in Sponsam cedit. Totius felicitatis, quæ Te comitatur fit hæres, quam illi Tuô Pontificiô Annulô desponsâsti. Cum omnibus solatijs venturum ad se Dominum credit, & cuncta fatorum cessura discrimina, dum Tu procedis JOANNES in virtute Eliæ Pastor zelosissimus. Pupilla Christi Cracius Clerus, simul Te orientem suam intuetur fortunam. Adventus Tuus quemadmodùm plausuum; ita & felicitatis in Turribus Gracijs facit abundantiam, quarũ Aquila ex Tuis Gentiltijs RASTRIS fortunatiorem nacta sinum, exultat, melioribûs implumari pennîs sperat, quibus amæniores possit sibi gratari dies. Sufficiat licetsi virtuti ipsi prœmium esse, & hæc tamen nunc felicior, dum Te prœmiata, hæc Cara Deûm Soboles, Tibi suo in terris Numini pom̃posiùs assistit, quò celsiorem ANTISTES ex Te apicem habet. Illi eminentia à Te CELSISSIMO, illi claritas à Te ILLUSTRISSIMO, illi honor a Te REVERENDISSIMO, illi præsidium à Te DUCE. Hic pennigera fama lætiori spiritu suum inflat lituum, ut ad thesseram, quâ suæ felicitati applaudit cuncta Orbis climata attentiora reddat. Et quidni reddat, dum Te JOANNEM Vocem clamantis loquitur, dum Te publicat, qui digna publicô sole operaris. Vocalior fit, dum à Vavellana repercutitur rupe, felicior, dum à Te altiùs enititur. Rarior, dum in messilegium Tuorum RASTRORUM sacras vittas abijsse narrat. Nec indè severa sed jucundior, quod Te DUCEM Severiæ deprædicat. Audivit hunc famæ honoris Tui sonum communis ingressûs Tui expectatio, & illico nova concepit gaudia, eodemq́;

 plau-

plausu, quô Te PRÆSULEM simul suam salutat fortunam, non aliter ac simul cum ortu diem. Elogijs quæ Tibi pandit, nihil plùs, quàm communem loquitur fortunam. Ast cum singulariori Generalis Regni Schola Universitas gestit jubilo, etiam Juventus Academica ad festivum Tui ingressûs diem optabiliorem recreationem nacta, felicitatis suæ præcipuum votivo plausu probat esse signum. Te ANTISTITE Tiarato laurigeræ Parnassi frondes vigent feliciùs, dum Tibi âd Vavellanum Pontificij honoris Capitolium sternunt Appiam. Tullius faustiorem pro Tuis RASTRIS, quam olim pro Rostris Te dicit Oratorem. Dialectici circuli constantem fortunæ præferunt rotam, dum Tibi PRINCIPI in Currum abeunt triumphalem. Flos Juventutis primam suæ sortis palmam tenet, dum Tuas redimit plantas. Jam sanioris mente Prænestinæ imagines cerea repræsentat Juventus, dum ad Tuos inflectitur plausus. Antiquô verò nomine Classes Novodvorscianæ per æquor scientificum navigantes, dum Tuas RASTRO Gentilitio expediuntur ad METAS, diu optatô suæ felicitatis potiuntur portu, votivum Tuo honori celeusma canentes. Quæ vix sistunt, jam sunt coronatæ, in quibus acsi in beatiori Insula, suam nôrunt residere fortunam. Hic novum suæ felicitatis invenere promontorium, in quo hujus congeriem Gentilitijs habent congregatum RASTRIS, quod ipsas beare possit. Cum plausu ergo votivo scientifico se concredunt æquori, gaudentq; aspirantibûs Tuæ benevolentiæ Favonijs, Navigium ad Metas sortiri, RASTRO GENTILITIO expeditum.

Multi

MUlti in lubrico aquæ elemento fortunæ probaturi conſtantiam, tridentifero ſe devovent Neptuno, fluctivagæ onerarias Claſſes concredunt Thetidi, raro tamen proſperè velificant, illis tantùm fortunatum eſt navigium, quorum Claſſes in felici conſiſtunt portu. Optatus equidem prudentis actionis eventus, à fine, navigantium felicitas Claſſium, à portu; ſolvitur à littore puppis, & tremit, cui ventorum flabra, dubium ſuſurrant exitum. Impellitur remex & Scyllas Charybdeſq; veretur, procelloſis fluctibûs hanc & in illam dum agitatur partem, luſum fortunæ meditatur frequenter. Plutonem portat, & Neptunum timet, cœco Numini famulatur, Præneſtinæ oculata in tortuoſis mæandris horreſcendo fata. Rara Phænix, quæ in buſtis mortalibus vitam, rarior navis, quæ in turbido ſuam felicitatem reperit. Hinc Sirenes alludunt, ut eludant, hinc furens dolus terret, illinc non propitia interitum minantur Aſtra. Solus portus eſt, fortunatæ meta ſalutis. Sis Uliſſes non tamen ante portum ideò felix, quia aſtutus; jubebis te alligari malo, ſed non fortunam tecum, non in medio Salo, ſed in promontorij Solo illam reperies. Sis Jaſon, aureum felicitatis non attinges vellus, niſi in Colchide. Credite Claſſes Novodvorſciæ, quod dum ſcientificum emetimini æquor, felicitatis emporium vobis quærendum eſt, ad quod conſiſtatis. Conſtiterunt votorum remîs, publico allaborantes plauſui ad Tuas ANTISTES CELSISSIME RASTRO GENTILITIO expeditæ Metas, & jam felicitatis ſuæ invenere portum. Quidni ſint felices, quæ jam non Cæſaris ſed Domûs LIPSCIANÆ fortunam Te

Ipſum vehunt, quæ Tuas Metas pro fortunatis habent Inſulis. In Te inſignis eſt Poli Lechici elevatio, ſub quo dum Pontificio Tuo honori Novodvorſcianæ velificant Claſſes, quotquot Magna LIPSCIORUM venerantur Nomina; tot propitia ſuo Navigio fatentur Sidera. Nec aliter poſſunt Metas Tuô Gentilitiô eXpeditæ RASTRO appellere, niſi ſe, Te benedicente purpureô Nobiliſſimi Tui Sangvinis Erythro, & lateſuſo antiquiſſimæ Tuæ Proſapiæ committant Heleſponto. Arduum quidem eſt Tuæ Familiæ Alto mentis concredere lembum, difficile remigante pennâ Natalis Rubiconis metiri profundum, arduum, ſed fortunatum. Magnitudo Domûs Tuæ Oratorias excedit idæas, ſed tamen imaginationes felicitat, cujus fortuna audentes juvat animos. Hinc non cedent Claſſes noſtræ in periculi aleam, quod ſi in Alto Geneſis Tuæ mergentur, quia ſic Profundo Tuæ Gratiæ abſorberi eis propitium. Quodſi Magnæ Genealogiæ Æquor intra paginarum non comprehendetur margines, amplitudo Ejus tenuitatem diphteræ excuſabit. Non erit tamen infortunatum Claſſium noſtrarum ſuper purpurato Sangvinis Tui Rubicone Navigium, quod ad Metas RASTRO GENTILITIO in applauſus ſolennes expeditur. Par ortu Tua Domus Poloniæ, cui utpote futuræ Inquilinarum Purpurarum Hæredi, Heròum cruor pro integritate Patriæ fuſus, perennantibus ſtupendam ſæculis delineavit amplitudinem, primam à Claſſium noſtrarum Navigio Polono Marti olim in Strenuiſſima GRABITARUM Gente viventi exquirit venerationem. Quamvis Rubiconem olim ab armato tranari illicitum fuiſſet

Ro-

Romanis, noſtris tamen Claſſibus non aliter hoc ceruſſatum contingit ingredi Salum, niſi ſint Hectoreîs GRABITARUM Armîs onerariæ. Ab hoc Claſſico, quod per illos raucis Bellonæ intonavit lituis, ſicut Tuæ Domui honorificum; ita & noſtris Claſſibus in plauſus Tuos expeditum provenit Celeuſma. Illi erant prodigi vitæ pro ſalute publica Bohemici AGAMEMNONES, qui VENCESLAUM Lechicô potientem diademate comitati, primam in Sarmaticis limitibus ſtationem fixere, & primum LIPSCIANI Sangvinis Fontem non Pegaſi ungulâ ut olim Hippocrenen, ſed dexteritatis Heroicæ aperuere veſtigiô. Inde felici probatum eventu augurium, quod totum Poloniæ ex LIPSCIJS coaleſcet corpus, dum in primo ſui ortu Coronato Capiti adhæſere. Jam ex alijs Sarmatici Geſtator Sceptri VENCESLAUS ocellos, quibûs ſtabilitatem libertatis provideret, ex alijs aures quibus deſideria ſtatuum exciperet, ex alijs brachia, quibus Hic Novus Atlas Lechicum ſuſtentaret Orbem, ex alijs manus, quibus vel Reipublicæ integritatem impugnantes debellaret, vel non impugnatam tueretur, ex LIPSCIJS omnia habuit. Hæc quæ loquor immortalibûs faſtîs, cruentatîs enſibus & hebetatis ſuper ferrata Aſiaticorum, Geticorum Roſſiacorum millenorumq; pectora haſtîs, ſuper hos & alios triumphantes Domitores inſcripſêre LIPSCIJ, ut tantorum Heròúm acta legeret, imitaretur poſteritas. A LIPSCIJS erant arma foris, & conſilia domi, ita, ut ſi Gradivus Minervæ nuberet, vix ſimile produceret germen. In hoc hoſtilis tabi profluvio, toties felicitatis portum liberæ Reipublicæ Cymba habuit,

 quoti-

quoties LIPSCIANAS Metas in aggestis RASTRÔ GENTILITIÔ ex hostilib⁹ tumulis appellebat. Allucet nostro Navigio geminati felicibûs parelijs Tyndaridæ Lechici Magna Lumina Poli, à quibus totus Amplissimæ Domûs in publicum prorumpit splendor, JOANNES in Rzeplin, SVENTOSLAUS in Przeworsko Hæredes, Succamerarius Belzensis, VENCESLAUS, & MATHIAS LIPSCIJ, Germani virtute & Sanguine Fratres; Qui innatarum delectabili varietate dotum Domus suæ pulchritudinem depinxere. Ex His Alij Parnassum, Alij Hæmum Utriq; certam publicæ felicitatis insulam posuere. Illi pro Aris & focis Mercurij, hi Achilles pro Patria, si alij svasere, alij sunt executi hostium necem, illi calamô proscripsere, hi mucrone eliminavere pericula, illi Togâ hi Sagô potentes, illi ense demetebant, hi GENTILITIIS RASTRIS triumphales colligebant laureas, quibûs coronata Patriæ vota ab omnibus sortis malevolæ fulminibus tuta facerent. Tunc invida fata, nec Arte nec Marte potuere nocere Poloniæ, quia ex utroq; CÆSARES LIPSCIOS timuêre. Inter hos oneratos pendulis, tot meritorum & Successorum fructibûs in Arbore Consangvinitatis LIPSCIANÆ Palmites, interim VENCESLAUS mihi aureus videtur Ramus, Qui simul & prima Radix erat, ex qua Tu Virga directionis Pontificiæ, Virga Pastoralis Vigilantiæ PRINCEPS CELSISSIME prodijsti. Primam Tuæ in Lechicum solum Prosapiæ eam esse plantam, quæ in pacis succrevit oleas, justitiæ in amuletum ivit, PRÆSULEAS in Vittas, triumphales pullulavit in Corymbos JOANNEM in Rzeplin Hæredem reverentiali profiteor pennâ, Qui quo aspectu

Bel-

Belzensem invisit Polum, polare induxit Sidus, beatiorì rotâ devolvi Fortunam jussit, amæniores flare Etesias demandavit, ita ut JOANNEM Numen propitium Polonia crederet, ni vocem publicæ felicitatis & trinas in Ternione Filiorum JOANNE JUDICE Belzensi, ANDREA Supremo Regni CANCELLARIO EPISCOPO Cracoviensi, ADAMO Vexillifero Belzensi, millenô sæculô notando superantes veneraretur Charites. Alius Lechicæ Genti non studuit esse JOANNES, ni impiæ Gigantonomachiæ extirpator, honesti Propagator pulsæ extra fines asylum, & Scipio justitiæ, Studuit, & probavit quando justitiæ de Cælo prospicienti & veritati de terris orienti Succollatorem ILLUSTRISSIMUM ac MAGNIFICUM olim Dominum JOANNEM LIPSKI, Judicem terrestrem Calisiensem Abavum Tuum PRINCEPS CELSISSIME reliquerat. Ille sicut cunctis virtutibus, ita veritati, & Justitiæ cor suum devovit in augustal. In Illo Themis suum nacta delicium, & raram in terris felicitatem. Jam in finu Jovis reponi neglexerat, dum inter penetralia Domûs LIPSCIANÆ morabatur. Cuilibet justitia fuit cum gratia, quia cum JOANNE, ita ut virtuti honor, & sceleri timor publicus resonaret. Non ita semper vibrabat gladiû ut interimeret, minabatur priùs, ut quilibet in aurora prævideret, quid serus vehat vesper. Corpus Illius Juris corpus credebatur, in quo quidquid vel ad publicum, vel ad privatum bonum tuendum Magni Patriæ quæsivêre Proceres, totum invenere. Succedit Licurgo, Polonæ gloriæ Jupiter & Stator Sarmaticus CELSISSIMUS ILLUSTRISSIMUS & REVERENDISSIMUS olim ANDREAS

LIPSKI, EPISCOPUS Cracovienſis, DUX Severiæ Alter Abavus Tuus & ſecunda JOANNIS Pretioſiſſimi Sangvinis portio. Monſtravit Hic CELSISSIMUS PRINCEPS, quod parùm erat LIPSCIANÆ Domui Mavortijs illuſtrari ignibûs, ſacris etiam elegit admoveri Ceris. Bellorum Numina, LIPSCIJ Martes ex campis ut transferentur ad Aras, neceſſum. Monſtravit, quod non tantùm nitrati pulveres in Theatro ſangvinario ſparſi in immortalis ſæculorum memoriæ coaleſcunt Olympum, ſed etiam cremata in gloriam DEI incenſa perennes Nomini accendunt adoreas. Nec ſola ales gloria pernicibûs alîs ex Gradivi evolat tentorijs, etiam ex templorum conopeis & certinis. Ille olim Supremus Regni CANCELLARIUS, nullum ſignavit privilegium, quod publicam Patriæ non obligaret fortunam, pro qua etiam ad Crucem ire paratus ANDREAS. Os Regium erat, ſed ſimul & corculum. Per Illum Majeſtas Polona ſicut cogitabat, ita & loquebatur. Tunc SIGISMUNDI III. MANIPULUS felices ſucceſſus pro granis ponderoſis ferebat in ariſtis, idq; quod rarum ſine paleis infortunij; novere inquam LIPSCIANA RASTRA ſeparare grana à paleis. Ille libertatis aſylum, legum Areopagus Senatoriorum votorum unio, ſacrarum ædium baſis, pauperum theſaurus, & omnium communis felicitas erat. Ille ſors Poloniæ cecidit ſuper MATHIAM occidentis CÆSAREM, ad quem ſtantibûs tunc Ratisbonæ publicîs Imperij Comitiîs Legatus miſſus: id totum fecit, quod votis Patriæ ſimulq; CÆSAREÆ Majeſtati ad mentem erat. Salutavit Reducem Patria, & deſudantia in tantis negotijs tempora, Luceorienſis In-

fulæ

fulæ abſterſit vittâ. E manu Regia ſimul cum Pedo calamum ſe accepiſſe ratus, Magna Invictiſſimi Monarchæ ad Chocimum Smolenſcum, alibique victricibûs jam redimita palmîs geſta, perennanti memoriæ, & poſthumis gratus Scriptor reliquit ſæculis. Ne fuiſſet in quæſtione vel in lite, an Caput ANDREÆ Muſæum fuerit, quæſtionum Decades, Juriſq; Civilis reliquit Centurias. Deſcripſit Eum in ſuis manibus FRANCISCUS illo, quô, libertate ſuâ Vladislaviæ & Chocij Ejus paupertatem ditavit charactere: nempè aureô. Solem egit etiam in obſtruſas cavernas, in quibus tot captivorum agmina degebant, aureô influxit ſplendore, è ſervitute Othomanica in libertatem eduxit, tam à morte, quàm à captivitate redemit. In hoc mirandus, quòd cùm Redemptor & ANDREAS fuerit, ARCHIPRÆSULEÆ noluit adigi Cruci. Ad hanc tamen quam Tu PRÆSUL Purpurate poſſides Cathedram invitus licetſi, Tibi PRINCEPS CELSISSIME vaſto meritorum præivit pedemate: in qua ita PASTOREM egit, ut Idæam ſanctioris vitæ reliquerit, in Te hodie redivivam. Complet ternionem Fraterni Sangvinis Illuſtriſ: olim ac Magnificus ADAMUS LIPSKI Vexillifer Bełzenſis, cujus notentur acta, omnia Paradiſi folia in margines abeant librorum, geſta perpendantur, vel ex ipſo Indigetis ſui ethymo ſi non in pari, certè non inæquali morantur bilance. Vitæ Ejus omnis de Arbore boni decerptos crederet, ſi non LIPSCIOS noſceret fructus, mentis cui innotuêre ſpiracula, malaciam erga favorabiles aſpectus, generoſum entheum adverſum Steropum expertus Vulcaniam, ita ut etiam pro communi bono Primus foret ſemper ad arma ADAMUS Ve-

xilliferum egit, sed ita inter Heroos stabat manes, ut semper pro coronide maneret triumphus, tam diu dextrè Vexillum tenuit donec hostes vinculatas non dederint manus. Ille victor, qui ad plumbeos tormentorum globos, semper adamantinus, ad bellorum classica cum suo magnanimo Pignore Illustris: olim ac Magnifico JOANNE Tarnogoriensi, ANDREA Bogucinensi Capitaneis vocalissimus; quorum ingentia centum scuta virûm volvere una pila erat. Quanta Hi gessere Capitanei, numerum excedit Oratorium, non sibi vixere sed Patriæ; nec tamen sibi nec Patriæ obiere, quia in perennem rectefactorum abiere historiam, quorum facinora jam non aureô antiquitas Darij scriniô, sed sinu suo custodit æternitas. JOANNES Cœlestis delicium Regni, ANDREAS felicior Timothæus, in cujus affabilitatis rete, & totum Lechiæ Regnum, & Civium corda, & Magnatum amores, singulariores Majestatis respectus insimul secum compellebat Tethis hic totam se eliquet in sepiam, ubi PRINCEPS CELSISSIME Tuæ alterum Caput Familiæ SVENTOSLAUS scribendus venit. Trabeata hic Regni anima est, Poloniæ in suis Successoribus ab irruentibus malis quemadmodum scutum, ita Domus ILLUSTRISSIMÆ ampliator spectatur. Hic pene Gratiîs compositus erat, quem Magnetem, non ferrum sed contendentia Civium corda ad se attrahentem diceres, si non profundâ mente SVENTOSLAUM coleres. Ad primum in Palatinatum Belzensem præsentiæ sistemma, SVENTOSLAUS jam Tribunus, jam Succamerarius consonâ declaratur voce. Inlllo ministerio ita se gessit, ut Illi tributarium hodiè Belzensis terra persolvat stipen-

di-

dium, in hoc nullum confiniũ, quod ultra Sidera Ejus non attolleret juſtitiam, nulla planities, quæ planam æquanimitatem omnibus ſervandam aduſque non publicaret. Magnus ex ſe, ſed non minor ex ILLUSTRIſ: olim ac Magnifico ANDREA Pocillatore Belzenſi, Cujus caput plenum fundatis in nativo amore pro bono publico cogitationibus, nunquam meditari deſijt, ut acumen quô ſors adverſa expugnaretur efformaret. Mens Cælo affinis, hoſpitem in terris agebat, rarior prudentia videntibus vel audientibus, ejus facta ſtuporem incutiebat, & compendiata virtutum epitome, per lingvas & ora populi glorioſè ferebatur. Felix in ſe Ipſo Poloniæ ANDREAS, ſed non minùs felix in Filio SVENTOSLAO qui ſicut naturæ ita virtutis paternæ particeps, famam, cujus Succeſſor erat ne profana eſſet, ſuo ſanctificavit Nomine, Martem ſecutus, ut per feracem laurearum Appiam adiret gloriæ Capitolium. Pugnabat ita, ut vinceret, vincebat ut triumpharet, triumphavit, ut glorioſus eſſet, glorioſus fuit, ut dignus nomine LIPSCIJ cenſeretur. Bellis innutritus, galeæ, loricæ & mucroni aſvetus, vivere aliter non potuit, niſi incraſſatum nitrato belli fumo hauriret àërem, niſi ſagum geſtaret. Hic tot exercitatus prælîjs tot conſpicuus victorîjs, tunc ſe etiam Gradivum monſtravit, cùm opus fuerat. Nempè contra tumidum Svecorum faſtum, & mille pericula minantem furorem, cùm Regum Potentiſſimus re & Nomine REX Poloniæ Sereniſſi. JOANNES CASIMIRUS proceſſiſſet, etiam Ille ſuum ſecutus Regem, cædes hoſtium & funera ſpirans proceſſit. Ibi Nobiliſſimi Sangvinis, quem ex ſuis traduxit Majoribus prodigus, ſicut Martem du-

bium, ita certam non timuit mortem. Sciens pulchrum esse & decorum pro Patria mori. Sic dum impetu audaci in arrogantem irruit hostem, spiritum emisit, sed non amisit, quem in integritatem vitæ Polonæ immutavit. Vitæ Sacerdotalis Idæa, morum Canon JOANNES ARCHIDIACONUS Hesmensis Ejusdem Patris cum SVENTOSLAO Filius, Peraugusti Capituli delicium, Canonicorum amor, Prælatorum dignitas, & insigne suæ Cathedræ decus, vitæ honestate, gloriæ amplitudine, virtutum elegantiâ, vixit PRÆLATUS, omni eminentiâ dignus. In se Ille monstravit, quidquid ad exemplaritatem necesse erat, in se expressit, quidquid ad imitationem opportunum. Palladem & Apollinem non à limine salutavit, illius intima, hujus etiam cortinam penetrando. Non primis Aganippeos Tullianosve fontes gustavit labrîs, exhausit omnes, & necdum eruditam extinxit sitim. Eruditionem facem mentis honestæ præsetulit, ut nunquam in tenebris ambularet, ostenditq; quàm pulchrè Ceræ nobilissimæ splendent, si Diogenis jungantur lichno; quàm benè est legibilis tituli cujusq; character, qui eruditis exprimitur literîs, quàm honorificum est Prælatum dici, & esse, quem alĳs præfert sapientia. Sicut mentem eruditione, ita pectus Divino boniq; communis implevit amore. Non bene sine hoc Musas sapere sciens legum Ecclesiasticarum tutela, honoris Divini Zelator, sicq; suæ gloriæ per meritorum additionem fuerat augmentator. Magna Ejusdem Sangvinis portio ADAUCTUS sicut à Majorib⁹ non cótraxit, ita illis non incussit ruborem, sed splendorem gloriæ, cerussam non fucato laudis suæ adauxit colore. Fecit hoc totum quodcunq;

illi

illi laudabilia Anteceſſorum inculcavere exempla, egit ad quodcunque magnum incitabat Genus, & quod ad perfectam requirebatur virtutem, quod ſæpè obvia bene merendi de Patria exigebat occaſio. Huic Fraternô Sangvine junctus JAROSLAUS, priùs Minervæ, tandem Bellonæ deditus, ſimul & eruditus & audax, ſtrenuus & ſapiens, fortis & prudens, calamum enſi ſociavit & illum eruditæ ſepiæ, hunc hoſtili intinxit ſangvini, docuitq; bene tendere ad Campum Gradivi victrices Aquilas, quibus Attica prævolat noctua, & exacuatum in limine Scholaſtico ferrum ad mortem ferire hoſtes. Ita ſemper levavit arma, ut inimicus caderet, ita gravem Martiali ferro in adverſam partem demiſit manum, ut eam deprimeret, ita urſit greſſum, ut illum non revocaret, niſi cum victorioſo veſtigio. Ut campus militaris in germinandis laureis fieret fæcundior, illum & proprio & inimicorum conſperſit ſudore, & ne ſuus tanto germini deeſſet calor, bellicos adhibuit ignes, tum cùm SVENTOSLAUS Frater Ejus pugnaret in Svecos glorioſæ victoriæ percitus æſtro occubuit, ſed non ſuccubuit, qui majus ſuæ gloriæ manens, quàm jam proſtratus terræ ſpatium occupavit. Hujus Heròis Germanus HIERONYMUS Tribunus Horodlenſis, Vir Ille quem ſi præſens vidiſſet ſæculum Marte Bellonâq; genitum autumaſſet. Illum Heròem natura eſſe ſvaſit, virtus juſſit, dexteritas fecit. Multum erat diſcernere, utrum illum quem olim habuit animum cum ſpiritu generoſo, an cum exercitio militari acquiſiverit, In quo quoties ſed & Heroicâ agilitate ſimul ſe movit ſangvis, ſemper ad profluvium pro Juribus Regni, pro libertate Patriæ para-

parabatur. Ex hoc Fratrum numero ADAUCTUS, Ille non sibi sed totius Domus gloriæ ILLUSTRISSIMÆ Familiæ decori, Patriæ obsequio, Religionis tutamini, libertatis defensioni Filios edidit JOANNEM & ADAUCTUM in JOANNE Gratiam in ADAUCTO virtutis præmiandæ dedit incrementum Hæc duo DOMûs suæ Fulcra, hæc Magnæ LIPSCIANORUM meritorum molis Columina, & basis, in quorum altero negotiorum, in altero bellorum repositæ machinæ, corruere nunquam, securè constitere semper. Placuit JOANNI galea, placuit & lubrica belli alea, in qua tamen nunquam cespitavit. Vidit tunc contra se jaculantem Turcica Luna & timuit, dum tamen JOANNES audentius & ardentiùs contra hoc cornigerum urgeret signum, vulnere saucius. Patriæ vitam redidit, cui debuerat, Viennensemq; triumphum suô subscripsit sangvine. ADAUCTUS posthumus in locum sublati ferrô hostili LIPSCIJ substituit plures JOANNEM nempè, & SAMUELEM suos Filios, qui in primo suæ ætatis flore fructum traductarum fermè cum sangvine virtutum dedere, quibus ad optima quævis Pater gloriosus exemplum fuerat, incitamentum indoles egregia. Educatio Dijs hominibus placens fecit illos suis dignos nominibus, deditq; ex Illis DOMUI ILLUSTRISSIMÆ & Patriæ tantùm solatium, quanti illi in prætexta omen dedere, quanti actuosæ mentes concipiebant præsagium. Parùm erat SAMUELI, ut solus suam ornaret Prosapiam, dedit ÆGIDIUM THOMAMq; FILIOS, quos sui totiusq; Domûs decoris haberet evictores. Nec spe suâ frustratus, quos adhuc superstes vidit, virtutis avidos, gloriæ appetentes, magnorum ca-

pa-

paces, crescentes ad sublimia, suorum imitatores morum. Ludebant & lusus eorum authoritas erat, puerascebant & pubertas illorum maturitas erat, vitam ducebant, & vita illorum ductus gloriæ erat, & ampla laudis Historia. Hic mihi quem superiùs humilis adoravit stylus, iterum sub calamum cadit HIERONYMUS Tribunus Horodlensis, ibi in se ipso laudatus, hic laudabilis in Filijs nempè in JOANNE Vexillifero Buscensi, MICHAELE, ANTONIO, BERNARDINO, CASIMIRO, quos suis pronunciare Nominibûs satis est ad encomium. Sint aliquando Heròûm Filij noxæ, hi tanti Patris Successores non degeneres in omni qualitate Filij. Nobilitatem vis LIPSCIJ sunt, satis Nobiles dum hoc Agnomine notari meruere. Virtutem quæris, HIERONYMI nati sunt, satis virtuosi, dum Tantum Genitorem habuere. Merita petis quemlibet sub suo imaginare Nomine, scies: JOANNES sub suo labaro, labore Martialî imperfractus, dies noctesq; non tam momentîs, quàm æternaturîs rectefactorum distinguebat monumentîs. Cui tantum erat probatæ dexteritatis signum Buscense Vexillum, quantum domandis suppari monstris Herculi Clava. MICHAEL tam inter variatos gravium consiliorum sensus Domi Angelus Consilij, quàm inter arma foris Angelus fortis, tàm inter amænas tranquillitatis oleas Angelus pacis, quàm inter conservanda Patriæ, Ecclesiæ, libertatis munimina Angelus Custos, ubiq; Princeps Angelus utpote MICHAEL. ANTONIUS tot Magnorum facinorum prodijt stupendus, ex Anagrammatico sui Nominis sensu, sive in particularibus, sive in Generalibus Comitijs magni eloquij vi tonans, fulminantem pro

Regni commodo agebat Periclem, & vincientem corda audientium aureîs dicendi torquibus Gallicanum. BERNARDINUS ut tutiorem in Oceano Mundi hujus ſuæ vitæ faceret lembum, & lenocinantes dulce melos canentium Syrenum nempè fallacium vanitatum evitaret aſtus, prudentior Uliſſes, non cerâ oblinivit, ſed Capuciô obtexit aures, non malo ſed Cruci ſacræ ſe fune FRANCISCI alligavit, cujus Religionem profeſſus. Illum Religioſum Sacrum accepit Virum Clauſtrum, in quo prudentiam & eruditionem miro modô relucentem ſtupuit, merita magna adoravit. Non opportuerat ut feciſſet obedientiam, utpotè hæc etiam ſolitus facere, quæ non debuerat. In humilitate profundus, in profunda Majorum veneratione humilis, ſed in meritis Altus, charitate fervens, prædicatione zeloſus, ſcholaſtico labore inſignis, & exinde magnîs in ſacra Religione Officîs conſpicuus, in ſuis Regiminibus exemplaritate magìs, quàm ſuperioritate præfuerat, non authoritate magìs, quàm ſuis urgebat moribûs, præcipiebat exemplîs, plùs ſvadebat agendo, quàm mandando probabat. Quid loquar de CASIMIRO, loquar hoc quod CASIMIRUS ex Ipſo Nomine liliaceus flos erat, qui ſicut in Coronamentum votorum Patriæ & Familiæ natus viguit, viruit, crevit, ita adolevit. Explicuit Ille ſe totum in boni communis uſum, dedit in decorem Domûs, quam latè ſparſo per rectefacta gloriæ ſuæ ſatis replevit odore. JOANNES unum MARTINUM Filium habuit, & quid mirum huic Polono Philippo, unus ſufficiebat Alexander, huic in Schola morum Platoni, ſatis fuerat unus omnium virtutum ſtudij capax Ariſtoteles

les. Cælum uno ſole ſplendens ſat lucidum eſt. Concha uno turgens unione ſat pretioſa eſt, JOANNES ex uno MARTINO Filio ſat glorioſus eſt, in quo per inditas animi & corporis dotes, ſatis ſe munificam oſtendit natura, & ipſe MARTINUS liberalis fuit in ſuam Domum, in ANTONIO & MICHAELE Filijs, qui cum lacte candidos hauſere mores, quos cæteris ad invidiam, ſibi præſentat ad honorem. Dixerim eos Phoſphorum & Heſperum, niſi quod uterq; continuâ virtutum & meritorum luce & indeſinenti rectefactorum fulgeat ſplendore, quô ſuas Nobiliſſimas Ceras ſereniores, & multò plùs illuſtriores efficiunt & efficient. Prodijt ex CASIMIRO JOSEPHUS Filius in gloria & tota Panegyri laudandis rectefactis accreſcens, qui ſe totum commodo Reipublicæ, utilitati Patriæ, Illuſtriſſimæ gloriæ Familiæ devovit. Alios innixi Proavis fallant ſinè laude Nepotes, hic de ſe ſpes diu ante perceptas felici implet eventu, dum non tantùm ea, quæ virum, ſed etiam agit quæ LIPSCIUM exornant, Tantoq; Nomini, factîs ſtylum & calamum ſuperantibûs correſpondet. Non rotunda licet periodus, bene tamen ut ipſe fateri debeam volvitur, dum ad Illuſtr: olim ac Magnificum SAMUELEM LIPSKI Judicem Terreſtrem Belzenſem devolvitur. Illum in ANDREA in Przeworsko & JOANNE in Lipsko & Bełzec Hæredibus Magnis Filijs venerando. Hic Illuſtriſ: SAMUEL LIPSKI Judex Terreſtris Bełzenſis pene Cælo delapſus ab alto creditus fuiſſet, niſi terreſtris eſſe maluiſſet. Quanti pretij hic Vir fuerat, quicunq; vis noſcere, ex libra Juſtitiæ conijcias, quàm ita conſtanti tenebat manu, ut ad nullam deflecteret partem, Nec tantùm in ſuo

Subſelio Judex Juſtus SAMUEL, illuc etiam ubi ad ultimam inſtantiam quæritur Juſtitia nempe ad Tribunal Regni evocatus; ibi Tantus apparuit, ut Mareſchalcalem capeſſeret Scipionem. Tunc omnem induta decorem regnavit juſtitia, dum Virga Directionis LIPSCIANÆ fuit Virga Regni Ejus. Quem aliquando privatus in foro fori mæſtum reddidit favor, illum Mareſchalcalis LIPSCIJ Baculus conſolatus. Jam quilibet metas felicitatis appulit, dum ad Mareſchalcum LIPSCIUM appellavit; ſub Cujus Scipionem abire non pœna fuit, ſed protectio. Quanti hujus LIPSCIJ Filij erant, qui curioſiùs indagas, oſtendi Patrem & ſufficiat. Illi ſunt Viri fortes, & magnanimi, Viri arte & Marte potentes, Viri domi, & extra, ſuîs meritîs clariſſimi. Vis Catones, illos inſpice, vis Curios, illos conſule, vis Scævolas, ex illis amorem Patriæ diſce, vis vivas tot quàm ante memoratorum LIPSCIORUM idæas, illis attende vis laudum compendium, in illis quæras. JOANNES ADAMI Genitor, Cujus indoles egregia quia LIPSCIANA. Fecit generoſa multa pluraq; feciſſet, niſi unicô actu omnia compleviſſet. Iiſdem veſtigiis, quæ Illi LIPSCIJ reverenter prædicti reliquere inſtitit, & in iiſdem conſtitit. Contra pridem infenſos Poloniæ Svecos bellavit audaciſſimus, ab illis ipſis agnitus ſtrenuiſſimus, occubuit glorioſiſſimus. Et ſic illi quibus PRÆMYSLAUS tertius Bohemorum DUX Pragam circumcinxit pro integritate Patriæ LIPSCIANO maduere Sangvine muri. Succedit in locum zeloſi pro Patria Hectoris felicior Illuſtr: olim ac Magnificus ANDREAS Alcides Cruce pro clava inſignitus, quâ adverſas Patriæ fideiq; partes tam fa-

cilè

cilè fugabat, quàm heroicè in Martiali prosternebat arena. Victoriosum ANDREÆ insigne Orbi Polono signum salutis erat, sub quo novus Constantinus nunquam non vincere visus. Crux hostibus non ferenda, Crux inimicis partibus formidanda. Fecissent Superi diutius incolumem ANDREAM, ivisset per excelsa honorum fastigia, ad quæ ex cæsis hostium cadaveribus excelsos sibi comparabat gradus. Dignitarios capessisset fasces, qui ferrum manu stringebat. Purpuras adimplêsset, qui in lorica fulgebat, Curules occupâsset Senatorias, quæ emeritæ virtuti indolique ad summa natæ, imò summa quævis excellenti parabantur. Compensat fata ANDREÆ licet & ille non totus obierit, cùm in immortali vivat fama superstes SAMUEL LIPSKI, Tribunus Kijoviæ, Vir vel solô Nomine Heros, factîs tamen magnîs Heroibus Major, & maximos exæquans. Singulari Tuæ quis non applaudat felicitati Kijovia, quæ cùm jam unum in proprio insigni haberes Tibi invigilantem Angelum, SAMUELEM pro altero adscivisti, ut sub bino Custode in utraq; fortuna ab omnibus secura maneres periĉlis. Angelum pacis se demonstrat LIPSCIUS sive pro restauranda decertet pace, sive tueatur conservandam. Angelus consilij est, & Personata in terris Intelligentia, quoties consiliorum oracula Delphicîs veriora de Divini penè animi Tripode pandit, quoties altos suo fundit ab ore sensus, nunquam bono communi non proficuos. Animârunt Herculis famam exanimati in saltu Nemæo Leones, Tigrides, hydræque indomitum locutæ Heròëm, detracta Ursæ Libystidi pellis suffecit suo pro Sidonio murice, proque purpura Do-

mitori, Gentilitius Palatinatûs Kijoviensis Ursus, SAMUELEM Herculem suum diversimodè promulgat, quia ad majorem famam, quem defensorem sui non Domitorem experitur, in cujus Heroica manu sparum quidem victricem sentit, non tamen ad cædem sed sui ad tutelam. Emensus Orbem heroicorum amplitudine gestorum ALEXANDER LIPSKI, Cujus magnanimam mentem non modò Patrij comprehendere non poterant limites, ast & remotissimæ Gentium, quas vocali sui Nominis attigit famâ sufficienter admirari. Felicior Macedone, vel ideo dicendus, quod ille vix districto ferrô Gordium solveret nodum, hic nodosas causas, multâque perplexitate involuta Patriæ negotia extemplo ac evenerant, solius acumine mentis resolvebat, explanabat. Videre erat vivam in Alexandro Magnanimitatis idæam, cui exasse gestorum respondebat magnitudo, videre erat miræ comitatis, affabilitatis cuilibet jucundæ, majestatis nemini non venerandæ, clementiæ Principes decentis Viros, munificentiæ intra parsimoniæ cancellos teneri nesciæ, justitiæ summæque prudentiæ normam, speciem modestiæ, sensûsq; de se humilis in Viris Illustribus, ut perfectam ita spectatissimam & omnium quæ homines mortalitati eximunt compendiatam in uno LIPSCIO epitomen virtutum. Neglectô Philippô ad Herculem suam referebat Macedo originem ut se DEUM fingeret, Alexander LIPSCIUS in illa progenitus Domo, in qua ipsi Dij nasci vellent, si possent: auro non tenui pagellæ inarando facinora Herculeis conformabat, quibûs famam Nomini suo Dijs vicinam, quia immortalem compararet. Minor natu ANDREAS, sed ut in se

ipso

ipſo ita in relictis ANTONIO STANISLAO & MICHAELE FILIJS non minor ADAMO Magnum ANTONIJ Theſaurarij Belzenſis Nomen Polonus ubiq; ſuſpicit Orbis, nec minora in Remp: obſervat merita æſtimando. Non poterat meliùs Belzenſis ſibi providere terra, quàm cùm ANTONIUM in ſuum eligeret Theſaurarium. Fidelis Theſauri Cuſtos, non tantùm commiſſa ſibi tenerimè conſervat, etiam amiſſa, & jam perdita recuperat, recuperata propagat, & adauget. Diteſcit Belzenſe ærarium ſollicitâ ANTONIJ circa ſuum incrementum curâ Diteſcit & Patria cui gemmeos in Regni congreſſibus ſuppeditat ſenſus, conſiliorumq; oracula ſubminiſtrat. Aurô notari debet, quidquid ſuo profert ab ore, Tripodis oraculum, quidquid conſulit, quidquid perſvadet, id totum ad communis propagationem boni, ad conſervandam liberæ integritatem Reipublicæ colimat. Prominet Illuſtriſ: olim ac Magnificus ſepulchralibus STANISLAUS ab umbris, famam illius Nominis quis non agnoſceret perennantem, Cujus glorioſa facta in poſthuma Orbis memoria perennant. Tempora vixit cum quibus citò labentibus, & nos ad funera prolabimur mortales, ſed totam æternitatem præclarè geſtîs in ſui præconia animavit. Umbrîs ſepulchralibûs inumbrari nequit, qui in vita fuit Illuſtriſſimus, qui diem vitæ brevem quidem, totam tamen in virtutum ſplendoribus peregit, ita minor poſt funera videri nequit, quemadmodum Titan ab occaſu. Licuit mortalibus fatis in magnos STANISLAI manes fatali intumulandos ſarcophago extendi; non in famam, quæ magnum Heròis ſpiritum immortalitati deſponſavit. Neſcius cade-

 re

re STANISLAUS cùm pro bono communi obstandum erat, heroica ſolidatus virtute, caucaſi inſtar, rupiſque Marpeſiæ infractum pro Patria opponebat pectus. Et licet ſub fatorum declinaverit legem, necdum tamen cecidiſſe viſus, Cujus adusq; eſt in ſui anagrammate Nominis laus. Vileſcit omne verborum pondus, ad MICHAELIS ſtateram, ingentium meritorum onuſtam pondere, nec ſuppar ſtyli gravitas ſcribendi contingit pennæ. Heros MICHAEL enſe vultuque flammeô minax, ſi quando, in immanes hoſtium Hydras, ultorem vibrat acinacem, protinus pars Stygias pallens ſecedit in umbras, pars lucos petit ſaltus denſoſq; receſſus. Libram non manu tantùm, aſt etiam mente gerit, Cujus æquanimitate ſummâ & Judicem vitiorum, & calamitoſæ virtutis Protectorem agit, non diverſum. Divæ Aſtrææ ſi deeſſet bilanx certè MICHAELIS apprehenderet ſtateram, in qua ille tum merentium prœmia, tum pœnas demerentium ponderat, ſed nunquam non æqualiter. Lectiſſimum ANTONIJ pignus NICOLAUS cum FLORENTINO LIPSCIJ geminant Magni Genitoris famam, ceu bina fulmina belli Scipiadæ Affricani gloriam Scipionis. Aureis exprimendum characteribûs NICOLAI Nomen, facta omnibûs præconiîs omnibûs elogiîs celebranda. Verior extra fabulam NICOLAUS Midas, munificæ attactu manûs omnia deaurat, cùm multorum proſpicit egeſtati. Aurea Saturni ſæcula exemplô ſui extra figmentum ponit, nemini non aureas efficit horas, cùm ſingulis beneficia largiatur. Liberalî dexterâ fluvios ſuperante Iberos in pauperum Xenodochia, Anachoretarum eremitoria Religioſorum Monaſteria ædeſque im-

morta-

mortali ſacratas Numini copioſas diffundit opes; non opes putans, quas non conferret amicis, non diſtribueret egenis. Integrum gratiæ annum amittere videretur, ſi quempiam amitteret diem largiendis beneficijs non intentus. Largus in omnes NICOLAUS, in Patriam tamen largiſſimum ſe demonſtrat, unius quâ nihil carius, nihil pretioſiùs habet, ita prodigus vitæ, ut illam pro integritate Patriæ, pro aureæ tuitione libertatis, millena effundere per vulnera ſit exnunc paratus. Tota Oratorum Florentia laudando FLORENTINO non ſufficit, Cujus Nominis fama, gratô ſui odore Polonum adimplet Orbem & exhilarat. Floret publica per FLORENTINUM Felicitas, viget LIPSCIANI Nominis gloria CELSISSIMÆ Domûs decora propagantur. Ver honorum illæ Ei aperiunt virtutes, quæ Patrium ut exornent ſolum, victrices Sarmatico Campo implantant palmas, lauroſque triumphales. Unus STANISLAI fata ſuperſtes AUGUSTINUS compenſat, ſed pro mille alijs recenſendus. Omnia in Illo auguſta, Nominis vultûſque majeſtas, frõtis honoratæ apex, quibuſvis faſtigijs eminentior, Oris ſvavitas mellifluos Iſocrates, Judicij maturitas Romanos exæquans Catones, dexteritas Heroica Camillis non minor, à dicentibus de ſe pronam venerationem extorquet, altum ſilentium intimando. Quid tandem de JOSEPHO & THOMA Utroq; SAMUELIS FILIO, dicendum, immo quid non dicendum eſt, ſi Heroicadexteritas, Achillea bellis indomita fortitudo, vis animi Viris nonniſi cordatiſſimis conceſſa, Sparthanum nullis infringēdum periclis, animoſi pectoris robur, ſumma in bellicis prudentia rebus, incomparabilis in præclare geſtis activitas

vitas, brevî poteſt periodô comprehendi, cruenta ardere prælia, Mavortijs ſeſe ingerere conflictibus, ſub frigido hyemare Cælo, trepidiſque vitam in rebus agere, adigere per pectora ferrum, & hoſtili capulo tenus diſtrictum mergere enſem, inimica expugnare caſtra, confertaſq; victore ferro profligare acies, ſi cui ad gloriam, JOSEPHO ad famam immortalem Haſtatæ cohortis Illuſtriſſimi olim ac Excellentiſſimi ADAMI SIENIAWSKI Caſtellani Cracovienſis Supremi Exercituum Ducis Commilitonem agens, nunquam manu depoſuit haſtam, nunquam galeâ liberavit Caput, nunquam adamantinum gravi chalybe pectus expedivit. Metabatur Caſtra Ducum Strenuiſſimus, nec Martiali defuerat arenæ Commilitonum robuſtiſſimus. Admovebat heroicam cædendis inimicorum turmis ADAMUS manum, nec vacabat JOSEPHUS à collis hoſtium demetendis. Profligabat adverſas SIENIAVIUS acies, cædebat & LIPSCIUS inimicas phalanges. Ille Ducalî Clavâ, hic RASTRO GENTILITIô hoſtiles exercitus edomabat. Ejuſdem Cohortis ſub Celſiſſimo MICHAELE CZARTORYSKI M. D. L. PROCANCELLARIO, Vexillifer factus, quoties militare attollebat ſignum, toties Patriam ad trophæorum augem ſublimabat. Plaudebat multùm CZARTORYSCIUS EQUES, quòd æquivalentem ſuo curſui invenerit Hippomenem, qui haſtatæ Cohorti ad victoriarum metam, ad ſcopum præcurreret triumphorum. Plaudebant & præliares Aquilæ, cum quibus nemo celeriùs, nemo feliciùs ad reportandam ex hoſte prœdam, victriceſque manubias Vexilliferô LIPSCIO provolabat. Nunquam LIPSCIUS ſuum cum Romano Vibio ceſſit

hoſti

hosti Vexillum, triumphale Gradivi castris ut intulit signum, selecta heroúm Cohors certos sibi non vano successu ominabatur triumphos, hostis imminentem cladem fugamque pudendam. Magnus Marte JOSEPHUS, arte non minor, quantum ferri acie posset in castris, quantum mentis acumine, prudentique valeret ingenió, in Purpurati fronte Senatûs, Augustoque Procerum Regni senaculo demonstravit. Ad Generalia Regni Comitia ex climatibus Russiæ, Belzensisq; terræ concordibûs in Legatum votîs, ex Præmisliensi ad Tribunal Regni in Judicem electus, utroq; munere ad Gentis gloriam, sui Nominis famam perennaturam functus, utramque spartam mirâ prudentiâ, activitate summâ, fide & justitiâ, exornavit. Vidit Legatum Senatus omnibûs absolutum numerîs, pro communi desudantem bono, privata nunquam, publica semper curantem promoventem negotia. Suspexit incorruptum Tribunal Judicem, nulli affectatum parti, æqui justique tenacem, Utrinq; summa LIPSCIJ æstimatio. Agebat in Senatu Demosthenem, sed nunquam raucedine laborantem tantùm pro sua Græcia disertus, ut Cineas pro Pyrrho nunquam fuerit eloquentior, agebat in Themidis Areopago Aristidem, unâ in utramque æquanimitate partem, licet virtuti prœmium, & debitas sceleri pœnas assignaret. Tantîs meritorum gradibûs ad altiora deductus fastigia, quoscunq; capessijt honores exornavit, nec desinit exornare. Belzensis terræ ærarium, dites Persidis exæquabat gazas, cùm ei singulare ex JOSEPHO pretium accrescebat. Regens Cancellariæ Regni à SERENISSIMO redivivâ non deflendo Hyade AUGUSTO II. justîs merita

 pen-

pensante honoribûs factus, sic incomparabili prudentiâ, summâ Legum statutorumque peritiâ rerum causas perpendendo, maturè discernendo fideliter, æquanimiter judicando Regni Cancellariam dirigit, ut nemo meliùs nemo exactiùs dirigere posset. Luctuosum Orbi Polono AUGUSTI II. REGIS Invictissimi obitum, illâ dolentis svadæ vicinæ Moschorum Genti detulit energiâ, quâ non remotissimam tantùm Calpen, sed scabrosam Rhodopen, non efferam barbariem, sed immitem alleviantia dolorum in vota emolisset tyrannidem. Nunciat o utinam nunquam practicabilia fata Regia! & adeo condolere Polono Orbi totam miratus Monarchiam, ut non tantùm attonitam Majestatem sortitus, adstantium stupefactum Ministerium ratus, ast omnes mæstitiæ induisse Syrma vicerit. Tomos in paginam abire necessum est, cùm THOMAS scribendus venit, cujus ingens rectefactorum materies Lechico commensuratur Orbi; Jovis nonnisi diphterâ concludenda, recensendis illius gestis Oratorius non sufficit numerus, Archimedis calculos excedentibus. Excessit THOMAS Oratorum facundiam, scribentium calamos supergressus, excellentiâ suâ omnem styli gravitatem superavit. Heroica quâ pollet dexteritas, animi magnitudo, igneus oris majestuosi vigor, mira frontis affabilitas, vultûs gratia, compendiatæque in uno selectissimæ dotes adorari possunt, nequeunt describi ex condigno. Impugnetur diversis Philosophorum sensibûs, Plâtonica Metempsychosis in lectissimo JOSEPHI Filiorum ternione, Achillem nanciscitur pro sua parte militantem, BENEDICTUM THADÆUM, AMANDUM trinos JOSEPHI Filios individualis secernit

nume-

numerus, non magni virtus Parentis, una in tribus & eadem. Non ita unius radius solis, non ita eodem promanantes de fonte conveniunt rivuli, quemadmodum nobilia excellenti exemplaria exemplato, quemadmodum JOSEPHO Parenti BENEDICTUS, THADÆUS & AMANDUS Filij conformantur. Dicere bene de BENEDICTO tributum tanto Nomini debitum, dicere condignè munus suas vires excedens adoratrix fatetetur Eloquentia. Non sufficiunt Oratoriæ amplissimis BENEDICTI laudibus auxeses, Panegyrici incrementum decrescit styli, dum in BENEDICTO JOSEPHI Filio gloria accrescere observatur. Heroica Parentis facinora æmulatur, qui nil non heroicū spirat, nil meditatur, quod se Hectorem non indicet vel Achillem. Generosissimæ indolis impulsu, quæ sibi ad immortalia calcar & stimulus est, licet nullum gloriosæ virtutis prætermittat specimen; illi tamen quæ nobiles ut plurimum concernit animos dexteritati prominet addictissimus. Sparthano more in armis crederes natum, cui unica voluptas est, chalybeam fronte gerere cassidem, ære triplicî armare pectus, districtum manu vibrare ensem, dies noctesq; integras transagere in armis, bella pro gloriæ bellarijs, molestã in hostico famem, pro immortalis famæ portione, cruda ferri obsonia, pro aureis Vitellij dapibus succensens, nil magis ardet quàm bellicos ignes, quibus triumphales Patriæ succendat rogos, nil fervidiùs sitit, quàm hostium sangvinem, quô laudatissimam heroæ mentis refrigeret orexim. Ijsdem passibus ad summa meritorum contendens THADÆUS cum AMANDO, ijsdem laudibûs celebrandus. Innata affabilitas &

H omni-

omnibûs pene gratiis compositus vultus THADÆUM nemini non amabilem, nemini reddit non jucundum. Devinctos omnium amores vel in ipso Nomine tenet AMANDUS, ethymo suo exasse correspondens, totum se diffundit in omnes, pares sincero mentis prosequitur candore, gratijs inferiores cumulat, & omnibus manet peramandus. Meritorum excellentiam titulorum antepotens splendori, honores mereri mavult, quàm habere, & eô ipsô supra quævis attollitur fastigia, quod præeminentiam omnem, infra virtutem ponat honoratam. Gemini Tyndaridæ ALEXANDRI Soboles JOSEPHUS & STEPHANUS Rhetoricam Epizeuxim excedunt, geminatâ quantumvis periodô, necdum ex æquo describendi. Flori Juventutis Polonæ Nobilissimo integer Tullij ad exornandum non sufficit campus, qui in triumphales lauros, & victrices Sarmatico Orbi pulullasset corymbos, nisi eundem speciosarum avara Libitina rerùm, prima statim in herba succidisset. Interceptæ Parentûm spes, injuriata Patriæ expectatio, gaudia multorum, cum gemino fato in gemitus versa, & hoc tamen ad LIPSCIORUM profuisse non dubites gloriam, qui non Orbi tantùm exornando nascuntur, ast etiam recreando Cælo moriuntur.

Tertium PRÆSUL CELSISSIME Familiæ Caput trecenta in sui Nominis venerationem votiva habeat capita, & hæc extra adoreæ VENCESLAI captum. Poterant quidem purpurata Trojani encomia Oratore recenseri Pliniô, armatæ Pyrrhi laudes celebrari ab Ænea; Stiliconis in præconijs nonnisi Claudiana non claudicavit Musa; ut attingatur VENCESLAUS ex quo tanta oriuntur Nomina, Numina

na in Panegyriſtas, geſta adnotentur Cælum in ſepiam abeat neceſſum. Cui hic vitæ aperuit ſphæram, per illum publicum Orbis animatum theatrum, quem in Lucinæ emiſit ſinum, hunc Atlante fortiorem communis bajulatorem genuit boni, ita ut præ tripudijs in elogia excurrat calamus PETRI Dapiferi Caliſienſis, & PROCOPIJ Notarij Surrogatorisq; Caliſienſis, Magnorum Magni VENCESLAI FILIORUM, qui Eundem quem Cælis indulgentibûs nacti ſunt, in virtutibus & gloriosè geſtis facinoribus imitati Parentem. In Te monſtrave-runt, quod in ſe ſunt experti, nempe glorioſum eſſe Nobilem naſci, ſed eſſe bonum glorioſius. Primus Dapiferiatûs Caliſienſis munere conſpicuus, nullam in publicum ſpectatoris Oris ex factis ſuis protulit portionem, quæ eſſet inſipida; quamlibet & oleô ſapientiæ & ſale prudentiæ conditam, quamlibet etiam ad invidiæ guſtum, quamlibet & rodentis zoili palato placentem. Vita Ejus cibus famæ erat, ipſiuſque virtutis alimentum, in qua nemo aliquem ſenſit amarorem, niſi ille cui mentis ſanitas deeſſet, aut cujus animus malam patiebatur criſim. Alter Notariatûs Surrogatoriatûſq; Caliſienſis officiô glorioſus, ſemper recti conſcius, à veritatis tramite minimè errans, ab æquitate nec unico recedens paſſu. Areopagorum Conſus, Judiciorum Cato, legum Lycurgus, Themidis domicilium, Judicumq; cum quibus Jus dictitabat amor fuerat. Nihil ſcripſit quod non cedrô aurôq; dignum fuiſſet, ad nihil manum pennamq; urgebat à quo conſcientia abhorreret, nihil adnotabat, quod deleri dignum eſſet, nihil judicavit, quod juſtitiæ diſſonum foret. Primus ut non dapum tantùm verùm etiam gloriæ immortalis per-

petuus Portitor esset, magnas Sangvinis sui portiones MATHIAM nempe & PETRUM FILIOS dedit. Dicere non nefas hos incorruptæ in Regem, & Patriam fidei Apostolos fuisse, qui non tantùm dictis, sed & factis, exemplisq; gloriosis humanam (pro Divina enim zelantes erant) multos docuere fidem, quam servârunt cuilibet. Dicere non nefas illos Petræ hujus nimirum PETRI LIPSCIJ duos adamantes fuisse, coronam honoris Domûs suæ & illustrantes & appretiantes. Alter scilicet PROCOPIUS suo, quod æquanimiter semper in quolibet foro ferebat Cælos obligavit Jure, ut glorioso Nominis & gloriæ felix esset successore. Et recepit gratiam Superûm in JOANNE Tuo PRINCEPS CELSISSIME AVO. Hic Judex Calisiensis erat, homo ingeniô Aquila, lynx prudentiâ pretiosum bilancis quam gestat Themis pondus, & pretium ponderosum, personata Bibliotheca fuit, legũ compendium & ut dicam, quod justum est, animatum Juris corpus. Areopagi Calisiensis, cujus Judex erat, dum *Præsidem* egit, egit Tonantem in scelera, clementem in innocentes animos Jovem, illa fulminibus è throno justitiæ prodeuntibûs punientem, in hos aureô protectionis suæ defluentem nimbô. Non severus sed Justus erat, Sangvinis non appetens, sed in illomet minuẽdo ubi & quãdo opus erat non parcus, aliquãdo extremo vindicis ferri punctο, dum incipiebat vitiari, aliquando totâ ferri acie corruptam educi jubebat saniem, aliquando mulcebat mitis, aliquando mulctabat justè irascens. Superstitem Eum etiam post fata, non tantùm in fama perenni prœmiatis rectefactis non tantùm in scripto æternaturis Actorum Calisiensium annalibus, justissimorum decretorum

rum charactere, sed in FILIO ADALBERTO Tuo PRÆSUL CELSISSIME Primo Patruo Orbis veneratur Polonus, qui in se Paternam indolem, virtutem, & imaginem remonstrabat. Non disputo à naturane an ab institutione derivatur probitas, quam in ADALBERTO ab utroque habitam non unus stupuit. A natura quidem contractam, ab institutione expolitâ. Quàm pretiosus LIPSCIORUM Sangvis, cum quo virtutum profluunt clenodia, quò hæc Divorum soboles bene depingitur, quô hæc Cælo digna in terris Dea lavari ambit, ut sit formosior adeo, ut adhuc ignotum Orbi censeatur paradoxum LIPSCIUM esse, qui probitate nativâ Nomini Magno non respondeat. Pijs in cineribus Polonus Phænix Illustrissimus & Reverendissimus olim STANISLAUS LIPSKI Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis, & Collegiatæ Chocensis PRÆPOSITUS Patruus alter Tuus PONTIFEX Tiarate, in Te traductæ cum Nobilitatis origine virtutis Successore totam meritorum in vivo compendio Orbi visendam exponit congeriem, quam adhuc auxisset, nec ad metam æternæ felicitatis properâsset, nisi Te Domûs totius & rectefactorum amplitudinis futurum novisset incrementum. Primus ille Metropolitanæ Cathedræ PRÆLATUS, quanta fecerit, Superûm Ædes, perennatura in ævum Archicathedræ commoda loquentur. Collegiatæ Chocensis PRÆPOSITUS, non semel sudavit, & alsit, ut non tantùm præesset sed prodesset. Morum exemplaritas, tot in negotijs probata prudentia, in Regum augustalibus, Procerumque Palatijs in loquendo non fucata gravitas, mens eruditione plena cognata Polo, zelosus in corde ingenuo fervor, verborum cum

 ani

animi cogitaminibus concordia, altiſſimis dignum honoribus & verè meritum in Domo LIPSCIANA naſci probavit demonſtravit. Spectare erat Illum toties Tribunalis Regni digniſſimum Præſidentem, & Ariſtides erat, ſenſere idem & ſinguli quod LIPSCIUS Cujus limata vocis prolatio, neque dentatum Zoilum, contra quem ſua RASTRA habebat, nec ferens ſupercilio Catonem, cui mentem conſimilem geſſerit verebatur. Tertius Patruus Tuus PRINCEPS Gratioſiſſime ILLUSTRISSIMUS PROCOPIUS LIPSKI, Caſtellanus Rogoſnenſis, ſupra omne etiam elevatiſſimum genus ſtyli, & ſupra pennas in altum gloriæ evolantes eſt, quô ſingulæ apotheoſes inferiores, infra quem omnis ſvadæ dignitas. O quã dulcis recordatio, quæ ſibi rememorat poſteritas PROCOPIUM, qui ſtatim à teneris reptabat per ſcuta puer, qui non ut Juvenis cum monedulis, ſed ut Heros cum bellicis jocabatur Aquilis. Hæc domi ſigna in Juvene, quæ virtutis heroicæ experimenta fuerunt belli in adulto, Cujus intrepidũ pectus millenis pro Patria, pro libertate, pro Religione excipiendis ictibus apertum, Cujus mens immota dexteritatis ſedes Scipiadam indicabat Polonum, Sarmatarum non Parthorum more pugnabat, frontem hoſti exhibebat non tergum, ſtando fortiter, non leviter fugiendo militabat, ſicut primus ſiſtebat ad aciem, ita ex acie nolebat deſcendere, niſi ultimus; talique modô dum & cum Scythis agebat, genti feroci ex ſua conſtantia illicium dedit & offã, ab illaque captus duram perpeſſus ſervitutem, tam in adverſis quàm in proſperis, ſemper æquanimis. Dapifer poſtea & Surrogator Poſnanienſis, hæc munia & dignitatum loca ſe ipſo ornavit glorioſius. Illum

I   Co-

Comitia Generalia dum multoties Legatum viderunt, in sermone Cineam, in amore Patriæ Codrum, in prudentia & animi magnanimitate Thĕmistoclem adorârunt. Nunc Togâ Senator hæc agit, quæ conscîam recti illius mentem decent, quæ legum libertatisq; conservatio exigit, quæ salus & amor Patriæ mandat. Ex illo concipit Polonia, quanta ex Te PRÆSUL CELSISSIME sperare certa, qui hos Antecessores habes, quos & Genere & virtute Maximis pares Fortuna gratulatur, exotici invident soles. Novum sangvinei Tui Æquoris navigio nostro aperitur ostium Illustrissimus olim ac Magnificus VENCESLAUS in Lipe LIPSKI, GENITOR Tuus aureis pæponendus sæculis. Cuius rectefactorum quantitas ex Tui honoris & Præsuleæ Celsitudinis magnitudine, non tam in paginam, quàm in centuriatos tomos extendenda. Tibi ille grandibus meritorum suorum passibus ad ampliandæ plus ultra gloriæ præivit augem, qui tanta Patriæ & bono publico fecit, quanta repositam fuisse in manibus Ejus Regni Fortunam sufficienter probarent. Stuporem suo ævo incussit Homerus, quod Iliadem in nucis clauserit putamine, Orbis Lechici prodigium elaboravit Cælum, dum totum virtutum in uno Parente Tuo conclusit compendium. Nulla dies Apellis fuerat sine linea, VENCESLAO nullũ momentum sine merito, vel in DEUM, vel in Patriam. Cursum mentis suæ, & magnam vitæ partem quàm optimo Reipub: debeando statui, cogitationum serie pernices Phæbi superavit passus, qui jam meditabundus orientem salutavit, jam in pijs pertinax votis, ad terminum occasûs pergenti valedixit. Asceticæ pietatis fervor per Te pretiosiorem aurô FILIUM com-

probatur, ex quo Regnorum æstimatio prodijsti. Non enim remissis in cultu Superûm tanti nascuntur Filij, prolixioris styli (cui etiam in laudes longissimæ non sufficerent thases) incrementum in Laconicum muto, ne illam Parentis Tui, quâ Cælis terræq; placuit, Orâtoriô modestiam acumine lædam. Humanioris limam sæculi, & feliciorē sæculorum Palæstram Illustrissimam BARBARAM de MIASKOWSCIJS LIPSKA, GENITRICEM Tuam, Fortunam Classistici navigij immersô profundiùs condigno honori excurrentis in elogia pennæ remô veneror. Ex Illa Tu PRÆSUL Gratiosissime Una, lacteô elementô condita hausisti libamina, futurus in sacro Cathedræ Craciæ Capitolio Jupiter, omnium virtutum in rediviva Junone habuisti cornucopiam. In illa prudentia supra sexum, animi fortitudo in negotijs quæ hanc Poloniæ concernebant Camillam gerendis, supra exemplum enituit, ita ut illam noscendo quilibet potuerit & discere probum, & dediscere probrū. Felix illa Parens, quæ Te Tiaratum succedentem in honorem secura tenet Olympum; quàm læta ab æthere cernit se factîs crevisse Tuîs, quôd Te non alijs scivit insinuare fascijs nisi tenijs PRÆSULEIS nisi Purpuris. Gratiosum Navigio Classistico Zephirum, dum Illustris: & Magnificum JOANNEM MIASKOWSKI Subjudicem terrestrē Schovensem inventionem felicitatis; dum MICHAELEM certum Præsidium, dum ANTONIUM MIASCOWSCIOS Tuos PRÆSUL Illustrissime veneror Avunculos. Ternio est, Gratiarum diceretur à me Ternio, nisi plùs quàm millenas spiraret Charites, in quo perfectæ felicitatis numerus comprehenditur. Hæc Lechicorum Trias Numinum

jam

jam in fidem abiit, quòd quidquid facit sunt omnia valde bona. De Illis dicere quòd sunt Lechici Columina Poli, digni Justitiæ simulacra coli, consiliorum promptuaria, eruditionis Athenæa, publicæ fidei symbolum. Hìc ex professo in Tui veneratione Nominis colimaret penna, ni illam innata Tua PRÆSUL CELSISSIME modestia, magnæ Sorti Tuæ Familiæ MATHIÆ Abavo sponte sua cederet. Quartum Caput Celsissimæ Tuæ Familiæ MATHIAS, in Cujus Apotheoses omnem Aganippei fontes effundant copiam, totus Orbis scriptorem agat, ocyus ut illi arescent, ita hic præ stupore fatiscet meritorum. MATHIAS Ille Vir Cujus facta in quadro posita plus ultra dicere volo plures extenduntur in Orbes. Secutus ille Palladem, quoties pro bono communi eruditô sensu, consilij amuletô, secutus Bellonam, quoties armis pro integritate Patriæ contendendum erat. Ita fuit citra primorum sortem honorum MATHIAS, Cujus excellentissimæ animi dotes, gesta fastos adimplerint immortales, digna primis Curulibus, primîs fastigijs supereminuerint. Purpurata Procerum Collegia mereri, quàm habere maluit, qui Consum in Toga, Metellum in bello egit, utrinq; Cæsar, utrinque Julius non in se tantùm sed in Filio STANISLAO laudatissimus, in quo omnia Virûm decora, acsi in compendio recensentur. Multa in multis laudanda suspexit Orbis, neminem omnibus excellere, nemini omnes inesse dotes observavit Destituit virtus, quos venustior commendat forma, quos corpus adornat, eosdem indecori dehonestant mores. Elegans Paridem vultus usq; ad Dearum extulit delicias, ignava mens defesque animus eundem Mavorti fecit detestandum. Me-

lior hic armis, & alius calamô felicior, diviſa in omnes ſunt, quæ beatos efficiunt; nunquam unus collecta tenet, quæ ad ſingulos extenduntur. In STANISAUM tota ſe effudit natura, Cui nihil deeſt, quod ex omni parte efficiat beatum. Par Magno Nomini, ſublimis in Eo animus, corpus animo correſpondens. Species Priami digna Imperiô ſed non ſolius, etiam conſpicuus STANISLAI vultus, oriſq; venerabilis majeſtas, digna majeſtatis obſervatur. Meretur Imperium Auguſtus, frontis exporrectæ nitor, & virtus illi ſuffragium addit, ille Principem animum indicat, hæc reddit efficitque Tanto Parente, quod nihil humile, nihil non magnum poterat naſci, JOSEPHUM, ADAMUM, CASIMIRUM STANISLAI Filios inſpiciendo agnoſcit Orbis, agnoſcendo veneratur. Nativos ſplendores ſacris JOSEPHUS admovit Ceris, agit Divûm Flamminium ardentiſſimô in cultum Illorũ animô. Dicatæ Superis aræ nunquam ſvaviùs redolent, quàm cum Myſtæ pientiſsimi cor in incenſa, fragrans devoti pectoris affectus in thymiama abit odoriferum, Jezovienſis PRÆPOSITUS, præeſt Eccleſiæ, & prodeſt centoculus Paſtorali vigilantiâ Argus in fide, pietate, attollenda Atlas, nulla curarum mole indefeſſus. Unâ periodô ADAMUM cum CASIMIRO complector, cùm utriuſq; facta aureô charactere, non nigricanti ſepiâ notari mereâtur, cum utriuſq; laudis materies acſi unius ſit, non voluminibus ſed in ævum ſæculîs celebranda. Ingerunt ſe Oratori calamo STANISLAUS JOANNES LIPSCIJ. Primus ſua ex ſtante laude fundamentum fluentis ad vota ſortis, quorumvis ruentium in Patriam infortuniorum ſcopulus, in virtute conſtantiæ petra, pro cômodo boni

ita obſtat publici, ut nihil adverſus prævaleat illud JOANNES novus pro libero Regno Annibal, cum hoc tantùm diſcrimine, quod ille venenum in annulo, hic in gratioſis anthidotum habeat labellis, quorum virtute, odijs laboranti Patriæ, ut perpetuum præſcribit fœdus, amarorẽ diſcordantium votorum in nectaream animorum componendo ambroſiam. Ex his laudum infra tot Magnorum Anteceſſorum Tuorum Nomina poſitarum præmiſſis, dum ad Tuas PRINCEPS Celſiſſime Navigium RASTRO Gentilitio expeditum appellit Metas, felicitatis ſuæ infert promõtorium. Quotquot enim Magnos anteactorum & præſentium ſæculorũ intra panegyricos margines vides eminere LIPSCIOS, tot fortunatas Claſſiſtici Navigij à nobis coli ſcito inſulas, ſed Tuas Metas pro portu feliciſſimo haberi permittas. Nec mireris quod ad Te nobiliũ animorũ vela, & Polonæ Juventutis colimant Claſſes, quòd Lechici Jaſones ad Tuas Gentilitias approperent Metas, quia in illis & bonæ ſpei emporiũ, & felicitatis vellus ſe invenire autumant. Eruditus illis pro Meta honor, honorata pro portu felicitas in Te eminet, in Quo dignitas PRÆSULEA, Protectrix JOANNIS Gratia Claſſium Novodvorſcianarum felicitas. Quotquot hic cernes erudito conatu Tibi allaborantes Palinuros, tot nobiliſſimos velificantes Tuo honori ſuæq; fortunæ crede lintrarios. Nunquam Tu potes eruditis auſibus non favere, qui totus eruditioni natus, hodie in præſidium eruditionis datus liberarum CELSISSIMUS literarum PROTECTOR. Nihil in Tuis Gentilitijs præſentas Metis, quod non ſit gratiarum Tuarum meſſilegium. Priùs ſcholaſticum é ſinu nobiliſſimæ Lucinæ, quàm communem vidiſti

solem,cui & primarium respectum,& gratiosum semper promisisti aspectum. Ita juvenilem tractâsti prætextam, ut in palmarem studijs efflorescceres herbam, ita annuatim peracta metiebaris lustra, ut Tuorum favorum claritate; ut Te ipso umbratilia scientiarum lycæa faceres illustria. Fecisti dum intra Minervæ comparuisti atria, vernantes Helicon Thalamos Tibi sponte repandit, suum cessit Apollo locum. Primævos studiorum avidô mentis libamine hausisti fontes, nec tamen sitim eruditionis extinxisti, Musas felicior Pyrrhus jam non in annulum, sed in vastũ capacissimæ transtulisti mentis, quibus adhuc gratias addidisti, ut omni fieres stupore major. Pubertas Tua ubertas maturitatis erat, ita vota de Te Primô augurió comprobanda morum, virtutum præcocitate ingenij prævenires. Fervidâ sciendi aviditate in sphæra Scolastica calescente floridæ ætatis æstate ignis credebaris, successu temporum meridiẽ felicitatis, & honoris, Patriæ rogos accensurus, ideoque in domestico cùm non potuisses comprehendi sinu, altius erupisti, flos juventutis cùm fuisses Palladianis intextus laureis, eleganti venustate Adonidem Te esse audîsti, ex quo ad Romanum properâsti Tyberim, ut Tuam speculareris formam. Avitos Montes inter Septicolles transtulisti vertices & Olympos monstrâsti, in quibus & virtutum & sapientiæ Numina residentia acsi rarum Orbis miraculum exteri coluere. Nativus Aquilæ Polonæ pullus suô non contentus, ad alienum etiam mentis pupillam probâsti Solem, ita longe Gentilitia extendisti RASTRA, ut etiam ex Ausonijs finibus laurearum germina legeres. Jovis Te Nepotem & nativum Tritoniæ Gens Romana supponebat

solem,

ſolem, nec erravit. Certabant de Te illa loca, uni tamen ſingulorum fortuna ceſſiſti nempe Romano GREGORIJ Summi PONTIFICIS Seminario, ibi tanta virtutum & eruditionis jeciſti ſemina, ex quibus proportionata Tuis Gentilitijs RASTRIS poſſit prodire meſſis. Quadrigenniô Theologicum ſpeculabaris Phæbum & illimem Te probâſti. In mentis Tuæ Zodiaco Domum hic ſacer nactus Hiperion nunquam egreſſurus inquilinum agere non hoſpitare apud Te voluit, ne ad ſolem Patriæ ſine ſole venires, Quælibet laborioſi ſudoris Tui ſtilla in ſtellam abijſſe rata tandem in Cathedrale Gneſnenſe & Poſnanienſe transformata ſtallum; hôc illiciô Te ad ſe revocare nitebatur Patria, ut tædioſa conſolaretur Tuo adventu deſideria; ſed adhuc ad Gallicana properâſti Lilia, ut floridius præſtolantia coronares vota. Romæ ſplendorē Lutecijs mentis monſtrâſti candorem. Ad Reges florum Te Regem animorū probâſti, & qui Cedro notandus es Lilijs inſcribi voluiſti. Sed prærupere in certamen prodeuntes de Te Avitæ Celſiſſimi STANISLAI SZEMBEK Archi-Epiſcopi Gneſnenſis, cum Neopolitanis Lilijs ROSÆ & vicerunt, in quarum odorem excurriſti feliciter Redux. Fluctuans tunc cujuslibet expectatio ita te ſalutavit ab exteris venientem, ut felicitatem in portu cymba. Inveniſti initiativum Tui honorem nempe Gneſnenſem Primiceriatum ROSÆ ARCHIPRÆSULEÆ Ternionis delicium. Quando tandem poſt terminalem Roſei PRINCIPIS ad æternitatis areolam tranſplantationem Archipræſuleum honorem in CRUCE POTOCCIANA gloriari decrevit AUGUSTUS, Tu pro Domo viduata Archi-Cathedræ miſſus, ita perorâſti Orator; ut in Re-

gia & totius Senatûs vota Donum Dei THEODORUM inclinares, & quid ni inclinares, Cujus pectori vocis & sensûs appendisti gravitatem. Tantus LIPSCIUS ad tantum honorem Tanti PRÆSULIS esse debuisti Invitator. Effusus quô tantùm potuit in Te affectuum latice POTOCCIUS, & voluit ut causarum in Ejus Palatio agitandarum Te sub Judice lis sit Cancellario. Tantus LIPSCIJ Honor, sub Cujus calamum etiam ab Aristidibus emendanda venere sentimenta approbanda. Novit Astræa LIPSCIANÆ Domûs se esse inquilinam, & à tot LIPSCIJS in Jure utroq; Judicibus ad Te virtutem æquitatis traducem transiisse, gavisa stetit veritas, quoties Tu sedisti Judex, iniqua Juris nulli suffragabantur diffugia, quibus Tua Gentilitia obicem ponebant RASTRA. Placuit probata virtus Regiæ SERENISSIMI olim & toto totius Orbis Poloni corde satis non deflendi AUGUSTI II Majestati, & Sigillo Procancellariatûs Regni approbata. Centoculus illa pro bono publico Argus, uti Te emolumento Patriæ profuturum prævidit, ita post decumanos ad suam Majestatem labores sub niveæ ætatis senio deficienti Atlanti Illustris: olim JOANNI SZEMBEK, Supremo Cancellario Te magnanimitate virtutis substituit Herculem, dum fecit Procancellarium. Quotquot scripsisti sententias, tot Divæ Themidis adnotâsti misteria, & sub uno Sigillo librum actorum Tuorum fecisti Apocalipticum quia JOANNES. Beatus qui servat verba Libri hujus ad quæ, si legum, si justitiæ custodem agat, videbit nec rigorem addere, nec benevolentiæ mitigare clementiam sibi licere. Ita publico servivisti bono ut & privatis concurrentium ad Te necessi-

tati-

tatibus fueris commodo, non tam Te paginis, quàm cordibus obligaturum clientum inſcribebas, non tam Ceris, quàm cereis in perenne Tibi flexibilibus obſequium imprimebaris affectibus. Poloni in Regia Majeſtate Tripodis Tu Delphus eras, & tanta pandebas oracula, quantis quilibet cui reſpondiſti contentus erat. Audivit Patria & non ſub ænigmate prædictam ſibi toties experta fortunam. Audivit Eccleſia & non amphibologicos felicitatem ſuam exprimentes profundè perpendit ſenſus. Ominabantur ſinguli Tiaratos honores, Senatorias Curules, Ducales Celſitudines, & ominis eventum veritate comprobatum eſſe communi teſtantur lætitiâ. Progreſſus tandem es à Throno Regio ad Luce-Orienſem Cathedram verè virtutum & meritorum luce oriens ANTISTES. Acceſſiſti invitus ceu gemma Infulæ quamvis violenter impreſſa. Invitus inquam quem ſollicita pro bono publico cura Miniſterio Regni magis publicæ felicitati opportuno, quàm Paſtorali præeminentiæ adhærere ſvadebat. Conſuluit tamen ad inſtantiam injuriandi honoris ſi à Te contemnendus foret innato pro communi fortuna zelô promptitudinis Tuæ in rebus agendis magnanimitas, dum Tibi virtualem utrobique Præſentiæ reduplicationem indulſit, ut & Throno Regio, & Cathedræ, & Reipublicæ, & Senatui, & Patriæ, & Eccleſiæ ſufficienti prodeſſes præſidio. Profueras & eô ipſô cor Regis, & in Domini & in Tua manu eſſe feceras. Ad Aras PONTIFEX, in Conclavi Senator, Conſultor in Palatio. Gaviſa Tanto Paſtore Luce-Orienſis Cathedra ſed breviter niſi vel ideò non diu, quia bene. Quotquot enim numericâ ſerie anteactos adnotavit Antiſtites, ho-

rum dotes, merita & virtutes in Te agnovit comprehendi. Te in tantû insciô Tuæ spôsæ curis incumbere de pluribus, quàm quot sunt momenta de die Regni negotijs sollicito. Virtus Tua tot meritîs, tot rectefactîs tot in Orbe Polono laboribus, (quæ ex mente, ore, manibusque Tuis processere) stipata, Regû accessit Throno & dixit, fama venit quod Vavelli Coronæ sunt sine Capite, Purpura, Curulisque Senatoria sine Possessore Cathedra sine EPISCOPO, Severia sine Duce, porrò recessit Pastor, & non est qui sit Celsissimus Illustrissimus Basilicæ Vavellanæ Præsul, nisi JOANNES LIPSKI, Regni PROCANCELLARIUS. Stupuit REX quòd virtus vitiosè locuta, nempe quod Te Luce-Oriensem non dixit Antistitem, sed excussit è mente Regia admirationis notam, dum jam non Luce-Oriensem, sed Gracium PRÆSULEM Te petijt nominari. Indicavit assistentem sibi rectefactorum Tuorum comitatum, & pro Te ita efficaciter peroravit, ut & Vavellanis Coronis Tu prima gloriæ Polonæ Frons, & altiori Infulæ Tu inter Primos Primus recensendus ANTISTES, & Ducalî Mitræ Tu re & Nomine PRINCEPS & propinquæ ViceRegiæ Majestati, cui Tu meritissimus Senator substitueres Trabeatus. Factum est & ad vota Patriæ ad mentem Senatûs, ad desideria pullatæ Diœcesis successit. Hanc quippe dignitatis auxesim primus amor in cordibus expectantium præparavit, antequam honor procuravit. Poteras quidem velociùs in coronamentum publicæ expectationis properâsse, Gravior tamen sub meritorum pondere lentis passibûs processisti, eò tamen amplius ingressu Tuo causas jubilum, quò seriùs præstolantium mentium tædia publicâ in Tu-

is Temporibus Craciæ Tiaræ recreas eminentiâ. Hic dignitatis tholus ad geminatæ Crucis Majestatem, ad purpurea honoris eminentissimi fastigia est ascensus, nec debitorum quolibet honore majoribus Tuis meritis prœmiorum, sed publicæ est Meta fortunæ. Assistunt Tibi Ducalem & Pontificium ingredienti Thronum uti Celsissimo Olympo paria Patriæ Columina, uti Illustrissimo Magna Domûs Tuæ Lumina. Illustris: ac Magnificus Dominus ANDREAS Ensifer Posnaniensis, Cohortis loricatæ Illustris: PREBENDOVIJ Palatini Margeburgensis Vice-Præfectus, Frater Tuus Germanus PRINCEPS CELSISSIME. Binus honor millenis dignum exambivit ANDREAM, binum munus expetivit LIPSCIUM utrumq; Atlantem invenit oneri supparem suo. Præludit Patriæ triumphis districtô Ensifer ferrô, quod heroica quoties attollit dexterâ, toties copiosam hostilium capitum demetit messem: ex qua uberrima gloriæ sementis Polonorum fortitudini fertilescit. Ensifer LIPSCIUS benè suo correspôdet muneri, præfert madentem hóstili cruore ensem, hosti ad terrorem, Patriæ ad tutelam. Loricatæ Cohortis eô dexteritatis documentô, Vice-Præfectum agit, ut selecta Heròûm series prodromante sibi in Mavortis arenam LIPSCIO nunquam non triumphales experiatur vices. Scutum Perseo vel Septemplicem Ajaci clypeum loricata Virorum non invidet cohors, cui Sparthanum Vice-Præfecti pectus pro triplici ære, proq; Macedonis sufficit lorica bellicis fulminibûs non frangenda. Haberet utinam tales sui Polonus Anteambulones Gradivus, haberent ejusmodi Vice-Præfectos Cohortes, certè nunquam

cruenta cum hoste negotia non prosperô conficerent Mavorte. Non suscito sepulchrali de lapide Illustris: ac Magnificum olim FRANCISCUM LIPSKI, alterum Tui Germanum Fratrem. Non eget Hic Tullianis ad famæ suæ condecoramentum floribûs, qui primum Juventutis florem Cælesti intulit Coronæ, eôq; Elysios exornavit campos. Immaturum morti genium nemo deneget, perspicax Astropos primum vitæ FRANCISCI præscidit stamen, ne fortè si distulisset Gordium esset expertura nodum difficilem sibi ad solvendum. Immaturum aggressa LIPSCIUM, ne postquam flos iste Sarmatici lectissimus Campi maturesceret suam priùs hebetaret falcem, antequam eundem succidere posset. Urget vectigalem sua in elogia calamum ex Patre Ænea & Te PRINCEPS CELSISSIME Avunculo Hectore, felix Polonus Ascanius JOANNES LIPSKI Tuus ex Fratre ANDREA Nepos. Ludit sexennis in Aula Magni Parentis Julus & ludus illius est, vel per Doctorum libros, vel per Scuta reptare Virûm. Juvenilis primordia ætatis pulchrô ad seria quævis exercet nisu Heros, mentis tener Achilles, si nec dum æmulum provocat Hectorem, jam illum suæ obicit virtuti, ut se in eo aequat de quo postea triumphet. Annorum capacitatem egregiæ indolis promptitudine excedens juvenilem prætextam cum virili commutat toga, ijs se accingendo moribus, ut nec Romanus adinveniat Cato, unde Eum non bene præcinctum reprehendat. Prima Illius ætatis aurora publicæ felicitatis portendit meridiem, diluculum annorum diem vitæ honoratissimam ominatur. Magnus pusio majorum oblectari imaginibus non erubescit, ex qui-

quibus desumptam LIPSCIANÆ magnitudinis idæam menti suæ ac aureæ imprimit laminæ, expressurus in se quidquid in Prædecessoribus Illustre, quidquid Magnum suis observat in Majoribus. Faveant boni Cælites finantq; quàm primùm magnæ spei Adolescentem crescere, ut vota Patriæ publica, magnorum desideria Parentum, expectationem omnium, quæ de illo est felici coronet eventu. Affistit & traducta ADALBERTI Patrui Tui gloria in THOMAM, STANISLAUM, ANDREAM, JOANNEM, & PROCOPIUM. Ex his THOMAS fit laudum abyssus, profundumq; encomiorum altum. Cogita quid potes Digno Viro competens, loquere quid cogitâsti magno conveniens LIPSCIO, aggrega folia, & panegyres adhuc non adimplêsti; Abyssus THOMAS, in Quo adhuc multum restat, quod laudes. STANISLAUS ad purpuras, Curules, Dignitarios fasces, & honorum subselia natus Vir æquè meritus ac laudabilis, vitâ integer, moribûs gravis Orbem Polonũ in sui elogia & in virtutis reposcit testimonium. ANDREAS ex Nominis ethymo Vir fortis imperfractus Alcides, & Atlas desudantem in laboribus pro Patria & Ecclesia sufferendis frontem solis laureis & immarcescibilibûs palmîs explicat abstergendam. Cognatorum cordiũ recreatio est ille, pretiosæq; nobilitatis per se à Majoribus suis derivatus valor non exiguus. JOANNES viva famæ Polonæ vox, in Templo DEI Columna immobilis, in Cleri medio speculum exemplaritatis, in Areopagis Tribunalitijs propria Divæ Themidis propago. Gaudet Illo Archi-Cathedra Gnesnensis tanquam suo Canonico, à quo Stalla decoramentum habent, Capitulũ in quibusvis arduorum nego-

tiorum occurrentijs magnum Conſilij Angelum veneratur. Quantam ex Illo ſuam æſtimat felicitatis auctionem Archi-Collegiata Eccleſia Varſavienſis, in qua Hic PRÆLATUS totus aureus multum valet, & Cuſtos cùm fuerit à titulo officium non disjungit, invigilat ut præviſa jacula, vel non feriant, vel minùs feriant bona cuncta vireſcant. PROCOPIUS Enſifer Poſnanienſis, Cohortis haſtatæ Præfectus Hector Polonus æquè ad fumantes Martis ignes, quàm ad focum Porſenæ igne zeli pro bono communi ardentis, educatus, honorificis bellorum innutritus fructibûs nempe victoriarum laureis; quòcunq; ſe vertit honorem individuum heroæ virtutis Comitem habet, LIPSCIUM enim ſine tali ſequace incedere non inconveniens. Non ſine cauſa gladium portat, quem & ad defenſionem libertatis, & ad eraſionem malorum, inciſionem perennantis ſuæ gloriæ characteris vibrat. Quantus Heros, Qui Cohorti haſtatæ, nempe jam probatis heroibus adpræficitur, bonîs melior & optimîs optimus. Admoveat Parrhaſius penicillo manum, vivis hìc coloribus utendum, ubi laudis Icon Illuſtriſ: PROCOPIJ LIPSKI Caſtellani Rogoſnenſis ſcribenti ſe ingerit Filius NICOLAUS Patruelis Tuus Celſiſſime PRÆSUL. Quem benignior Lucina exquiſitiſſimis corporis ornavit lineamentis, virtus ita in eo depicta, ut viva ſua in Icone noſceretur. Multum de iſtis dotibus debet NICOLAUS Lucinæ, ſed plus virtuti, illa Corpus venuſtum fecit, hæc nobilem corpori ſuperaddit animum, illa de meliori fixit præcordia luto, hæc expolivit exornavit. Aurum optimum Caput NICOLAI mens aurea probat, de cujus Tripode quidquid depromit id aureo debet

 me-

metallô ponderari. Sunt & Alij Qui Tibi assistunt, sed non solitarij, cùm non sine denso elogiorum, suæq; encyclopediæ agmine, non sine tot in Patriam meritorum speciminibus, non sine innatarum, dotum exemplaribus. Pagina hæc Tantorum Nominum Syllabô ponderosa, sigillatîs encomiorum, Tantos Viros concernentium non turget commotibûs, cùm dicere LIPSCIOS Suprema antonomasia est ex Nomine Tanto & ex Te CELSISSIMO PRÆSULE quantitas Nominis LIPSCIANI conijcitur, Comitatur Te plaudentium votorum fœdere nexa in copioso Colligatarum Domorum Numero Polonia, pompâ Tui Ingressûs auget nativa MIASCOWSCIORUM, BOJANOWSCYORUM, TYCHLINSCYORUM, SIEMICOWSCYORUM, PODHORECCYORUM, ZULKIEWSCYORUM PSTROKONSCYORUM, POTULICCIORUM, ZAPOLSCYORUM, ŁĘTKOWSCIORUM, FREDRORUM, NARAMOWSCYORUM, POTOCCYORUM, SZEMBECYORUM, KRESCIORUM, STADNICCYORUM, WARSZYCCYORUM, RUPNIEWSCYORUM ŁASZCZEWIORUM, GĘBICCYORUM, PONINSCYORUM, TRZEBICCYORUM, PONIATOWCYORVM, KOZMINSCIORVM, KVRDWANOWSCYORVM, SKARBKORVM, WĘZYKORVM, KONARSCYORVM, ŁODZINSCYORVM, GRABSCIORVM, BŁESZYNSCYORVM, WIERZBICCYORUM, HERBVRTORVM, SZCYCINSCYORVM, WALEWSCYORVM, SVCHODOLSCIORVM, GVRZYNSCYORVM, MYCIELSCYORVM, REGOSCYORVM, DZIEDVSZYCCYORVM, SKRZĘTVSCYORVM, ALBINOWSCYORVM,

N SKRZE-

MIELECCYORVM, OBERTYNSCYORUM, PEPŁOSCYORVM, KROSNOSCYORVM, ZAKRZESCYORVM. Aliorum numerum Oratorium excedentium decora. Cuncti per Tui Sangvinis Erythrum ad Tuas Metas suæ felicitatis ponunt portum. Ergo cùm nemo sit, cui in appricanti Pontificij honoris Tui meridie venustior fortuna non arrideat, & Navigium Classium Novodvorscianarum RASTRO Gentilitiô in solennes plausus ad Tuas expeditum Metas, quod sit fortunatū; qui ambigat. Tuū illæ vehunt honorē, non tam aureo ut quondā Iason vellere, quàm Pontificiæ Tuæ Purpuræ byssô quæ in tot Lechici Orbis cognatas diffluit Familias, traductis nativi Tui sangvinis felicitate fontibus. Iam suos Hippocrene latices, jam fontes dicendi Eloquentia, jam Dialectici Mæandri suos meatus sinuosos in applausus Tuos exundare faciunt, jam tota Iuventus Academica Tuo velificans honori spei bonæ, & felicitatis attigisse se credit promontorium, cùm ad Tuas Gentilitias venerabunda appulit Metas, jam se non sub carbasa, sed sub Pontificiæ Tuæ Dibaphæ condit fimbriam, jam non ventos, sed Tuos ad Classica vocat favores, jam non malos, sed Crucem, sed Pontificium erigit Pedum, ut suæ felicitati Stabilitatem ostendat: jam ad Tuarum plantarum portum felix Io, & triumphale occinit celeusma cum suo Archinavarcho nempe Fundatore Novodvorscio tesseram felicis navigij Gentilitium Habdank, hoc est perpetuas Superis grates clamorosâ ad Cælos extollit voce, quòd Senatus Tanto Statore, Vavellus Tanto Præsule, Vniversitas Tanto CANCELLARIO, illa tanto suo Protectore muneretur. Et cum hoc lætabundo pæane extra marginem nempe ad Tuas prosilit Metas honore Tuo fortunata Iuventus, amplius ligatis in perennem obligationem per epigrammaticas Scansiones processura pedibûs perenniter innovandis felicitatem Tui Navigij repandit votîs, ut qui modò CELSISSIMVS emines, EMINENTISSIMVS adoreris: Te ad Majora Superûm Gratijs, favente diutissimè incolumitatis tractu, Patriæ desiderijs, & Iuventutis Numina fatigantis affectibûs impellentibûs, ut sic semper velificans plausibus Tuis Classium Novodvorscianarum RASTRO Gentilitio sit expeditum ad Metas Navigium.

PROGRAMMA.

JOANNES A LIPE LIPSCIUS EPISCOPVS Cracovienſis DVX SEVERIÆ

ANAGRAMMA I.

IN Aſcenſu PRINCIPIS opus voces dicere EI, Ave o ſpecialis ſalus.

EPIGRAMMA I.

JUpiter Alme fave cæptis in carmine votis.
Quæ pro PRÆSVLEO Pallas honore dabit.
In laribus doctis Lechiæ collecta Iuventus,
Hæc fac quæ plaudens publica fama jubet.
Mandat *in Aſcenſu* felici *PRINCIPIS* almi
Nunc *opus* eſt *voces dicere* cordis *EI*
Hinc dic PRÆSVL *ave* Patriæ Sors *o ſpecialis*,
Gloria Vavelli, Paſtor & ampla *ſalus*,

ANTONIUS de Cieni CIENSKI,
Venatorides Curiæ Regni,
Auditor Dialectices.

II.

OS ac cor Jovis Ipſius pene appellandus ès, Care Civis, en cies jus.

A Olim-

Olim siderei fictus Rex Iupiter Orbis,
Os à consilio, Cor ab amore gerat.
Os ac Cor Iovis Ipsius Tu pene Tonantis
Appellandus es hinc, hoc quod utrumq; potes,
Care Tuæ *Civis* Patriæ benè consulis ore,
Cor Tibi communis sortis amore calet.
En mala fata premis, ne *jus* habeantve nocendi,
Necem hinc ense *cies* percutis inde Pedo.

STANISLAUS Scibor de Rudultowice KOTKOWSKI, Pocillatorides Novogrodensis, Auditor Dialectices.

III.

AD Vavelli Coronas accessus PRINCIPIS Ipse en Spes, jo cie vives.

ASsurgant pia vota precor, meliora sequentur,
Sors dabit ipsa dies, tempora fausta fluent.
Ad tres *Vavelli* renitentes luce *Coronas.*
Accessus felix, *PRINCIPIS Ipse* favet.
En Patriæ *spes jo cie* gaudeq; secura,
Sacro fulciris PRÆSVLIS ecce Pedo.
Per vitam Tanti *vives* animata Patroni,
Sub Quo consurgunt prospera cuncta Tibi.

ADAMUS de Romiszowice ROMISZOWSKI, Burgrabides Cracoviensis Auditor Dialectices.

IV.

Nilus assereris, puppes levans, ocyus ideò eijce nociva, sic pax.

NOn sit in Ægypto fæcundi gloria Nili,
Vendicat hanc potiùs terra Polona Tibi,

Tu

Tu *Nilus* Sacer *assereris* flumenq; favorum,
Aurato *puppes* murmure lympha *levans*.
Ocyus hinc PRINCEPS *ideo eijce* quæq; *nociva*,
Sic fac ut Patrio, *pax* sit amica solo.
Te loquitur Patriæ, Fortunæ, tumq; Senatûs,
Atq; Diœcesis, Sacra Tiara datum.

IGNATIVS de Romiszowice ROMISZOWSKI, Burgrabides Cracoviensis, Auditor Dialectices.

V.

ZUncio, i in laudes, accipis, pascis oves, è pijs severè arces lupos.

Z*Uncio* Musa tibi veloci *i* fama per Orbem,
PRINCIPIS *in laudes*, hæc referendo tibi
Accipis, errantes nutris, *pascisq;* salutis
Escâ jejunas Pastor amicus *oves*,
E gregibus sic credo *pijs* terrendo *severè*,
Arces Christiadûm, noxia damna *lupos*,
Es PRÆSVL vigilans, immo vigilantia viva,
Ac animam dandam, pro grege Pastor habes.

SIGISMVNDVS à Lubna LUBIENSKI, Castellanides Sandomiriensis, Capitaneus Vetecensis, Auditor Rhetorices.

VI.

ES Vir Consilij, Princeps es pacis, ævi casus, sine væ Polo decus.

E*dere* consilij robur pacisq; juvamen,
Inter millenas dos bona rara tamen.

Hæc collecta tenes, hæc Tu cumulata remon ſtras,
Pompoſus Mitrâ, purpureâq; Togâ.
Es Vir Conſilij, *Princeps es pacis* amandæ,
Et felix *ævi caſus* ab axe Poli.
Tu *ſine væ* Patriam ſervabis Magne SENATOR,
Sarmaticoq; *Polo* pulchriùs Ipſe *decus*.

RAPHAEL de Gorowo GURO-WSKI, Vexilliferides Caliſienſis, Capitaneus Brdovenſis Auditor Rhetorices.

VII.

SIc ajo incipis paſcere oves, pios ſerva, puni ſcelus Enſe ducali.

SEdem Vavelli *ſic* ut nunc PRÆSUL adis Tu.
Eſt cunctis *ajo* gaudia mille dare.
Nam Tu vix intras mox triſtia nubila cedunt,
Solq; diem lætum, dat meliore comâ.
Incipis ecce Tuo cûi dos implere fávore,
Commiſſaſq; Tibi *paſcere* fauſtus *oves*.
Ergo *pios ſerva*, *puni ſcelus Enſe Ducali*,
Vt Nomen ſæclum creſcat in omne Tuum.

ANTONIUS de Dowoyná Sołłohub Capitaneus Łochminenſis Theſaurarides M. D. L. Auditor Rhetorices.

VIII.

Acceleras PRINCEPS, luces Pindo, ſeu es Aònijs viſio pacis, vives.

Abſens ut fueras, nemoroſus Pindus in umbris
Extiterat, propriâ Te ſine luce manens,
Sed vix *acceleras Princeps* ut Phæbus ab ortu,
Mox *luces Pindo*, nubila quæq; fugans.
Aònijs Muſis ſeû es data *viſio pacis*,
Quam benè ſub lauro poſſe vigere facis.

Hinc

Hinc celebris populo dominaberis, atq; Super stes;
Vives innubis, candida sæcla dies.

IOSEPHVS de Pokrzywnicá POKRZYWNICKI, Capitaneus Schadcoviensis.

IX.

LIvida sors evanescas ex oculis en Pie vive PRINCEPS, sic sapio.

L*ivida sors evanescas* & cede sub Orcum.
Ex oculis nostris, qui venit Ille jubet.
Quis jubet ? *en* ævi nostri Fortuna IOANNIS
Cujus temporibus, Cracia Mitra datur.
Hinc *Pie vive* precor *PRINCEPS* per tempora mille,
Vt nobis felix, quælibet hora fluat
Sic sapio Vates dum gaudia carmine scribo,
Et de corde cliens intima vota fero.

IOSEPHUS de Offinow OTFFINOWSKI, Dapiferides Visogrodensis Auditor Rhetorices.

X.

I PRINCEPS, i PRÆSUL, Consus es Polonis, ævi decus es, ac jus aciei.

Inter tot plausus & post tot tædia longa
Dum desiderijs, grata Corona venis,
I PRINCEPS quò Te popularia vota reposcunt,
I PRÆSUL quò Te publica vota trahunt
Consus es ingenio felici, Sorte *Polonus*
Nostri *ævi Decus es*, Cœlitus ecce datum.
Ac doctæ Themidis lex Martis *jus aciei*
Argus Centoculus, semper utriq; praees.

STANISLAVS de Olchowiec SMIETANKA Tribunides Cracoviensis, Auditor Rhetorices.

XI.

PAsces en Pie PRÆSUL Cives Poloniæ, Divis en crescis viso casu.

PEr campos Patriæ nutantis RASTRA revolvis
Sublature trucis, sæva pericla famis.
Pasces in celeri rerum motu *en Pie PRÆSUL*
Cives, Consilium mens generosa feret.
Subvenies escis, hostemq; *Poloniæ* in armis
Pulsabis, sortes auguriumq; loquor,
Multipotens Numen *Divis en crescis* in Orbe
Seu *viso Casu*. seu statuente DEO.

ALEXANDER de Lubraniec DÆBSKI,
Ensiferides Inowraclaviensis. Auditor Rhetorices.

XII.

EX Senio vivens Prosapia es, occine, plaude, si scis cui? PRÆSULI.

EX *senio vivens* per tot jam sæcla perennans
Es Prosapia Tu, LIPSCIA Cella Domo
Lætior insurgas, Io lætior *occine plaude*,
Si scis visq; cui? carmine narro tibi,
PRÆSVLI in elogium nam verè dignus ut Illi
In plausus abeas, LIPSCIA tota DOMVS.
Est honor inde Tuis pretium Splendorq; decusq;
Pontificem Tantum, quod Domus alma tenes.

STANISLAVS de Postawice
ANKWICZ, Vexilliferides Stezycensis. Auditor Rhetorices.

XIII.

LAudes si posses, scio penna parares, incipe ocyus, cie lux vive.

LVstret ut adveniens Pastor sua signa triumphi.
Quemlibet in plausus PRINCIPIS ire decet

Et

Et tu *si posses laudes scio penna parares*,
His ut PRÆSVLEVS condecoretur honor.
Cùm tamen impar sis laudi tunc *incipe* votum
Ocyus, ac supplex io triumphe *cie*.
Tu *lux* Sarmatici Cæli splendorq; Senatûs
Vive refulgendo secla beata tene.

ALEXANDER de Wierzbica REMER, Dapiferides Bractavi-ensis Auditor Rhetorices.

XIV.

TO incedis in specie lucernæ, pro pijs lex, pa-scas oves suaviùs.

IN Vavellano templo quod Rex erat olim
AGNVS SZANIAVIVS, vera Lucerna fuit.
Et nunc *Io* canit, Tu vix *incedis* ad illud
Luminis *in specie* Te venerando novi.
Mœror qui fuerat de extincta luce *Lucernæ*.
Te Cathedræ propriæ sole nitente fuit
Progrediare *pijs* votîs *lex* maxima Cleri
Pascas Pastor *ovès suaviùs* Ipse Tuas.

STANISLAVS de Lubrániec DĄBSKI, Ensiferides Inowłodensis, Auditor Rhetorices.

XV.

POlonia noscisne pares PRÆSULI; secus edic, es Civis pacis vive.

PErcipe Divinæ cognata *Polonia* Mentis
Tu *noscisne pares Præsuli* in arte Viros.
Vel *secus* auratis arcanum vocibus *edic*,
Cùmq; dabis voces; Delphica solve labra.
Veridicos solùm Phæbos ut laudo Magistra
Es Civis pacis sic Tibi vera loquor.

Ergo digna feram venerando PRÆSVLE vota
Vive diu felix, aurea sæcula precor.

ADAMUS de Radomie RADOMSKI, Capitaneides Inowlodensis Auditor Rhetorices

XVI.

SAlve Sponse, Casus vincis, eijcis, evinces, rapies, populi corda.

S*Alve* Sacratæ Vavelli *Sponse* Cathedræ.
Sarmatici columen, Deliciumq; soli.
Adversos *casus* sortis tu *vincis* acerbæ
Fortunamq; vehi, vis meliore rotâ.
Eijcis ex Patria cladium Cathedræq; gravamen,
Imbribus auratis Iupiter alme fluis.
Evinces, rapies populi Tibi *Corda* Poloni
In Te cunctorum publicus ivit amor.

FRANCISCUS de Wierzbica REMER, Vexilliferides Cohortis Regiæ Auditor Rhetorices.

XVII.

COncinnè ajas, prosper Ei, Ejus accessus visus, deliciæ populi.

GRacia *concinnè* decorat dum Mitra IOANNEM
Et merito gemmans Infula fronte nitet.
Ajas prosper Ei cursus, qui carmine, plaudis
Responsumq; *Ejus* nunciet ipse Tripos.
Præsulis *accessus* quô gaudet Cracia sedes,
Ex quo Pindus ovat, qui Tibi visus erat

Dicit

Dicit Apollo mihi si vultis credere *visus*
Deliciæ populi : Deliciæq; Poli.

ALBERTVS de Trzebinia TRZEBINSKI, *Burgrabides Cracoviensis Auditor Rhetorices.*

XVIII.

IN ævis, Avis, ac Proavis splendes, Princeps, ac sol, ecce vivis eis.

INquirant alij Majorum facta suorum,
Antiquæ numerent Sæcula tota Domûs,
Tu Famâ Generis celebri sat clarus *in ævis*,
Clarus *Avis* renites, *ac Proavis*que Tuis
Splendes Purpureus *Princeps* in Origine longa
Ac Sol dum radios explicat Orbe suos
Sic plenus PRÆSVL meritis, virtutibus *ecce*,
Surculus excelso Stipite *vivis eis*.

ADAMVS de Witowice CZERNY, Pocillatorides Podoliensis Auditor Rhetorices.

XIX.

VOx si es præco edic, vives PRÆSUL pacis, evinces Pilios annis.

VNde queas Tanti geminare tripudia plausûs,
Vox es si præco, quæso ora solve mihi,
Edic atq; statim Sucessus, omnia pande,
Pandit & exoptat quod sine sorte mala
Incolumis *vives* o *PRÆSUL pacis* amandæ.
Roboris illæsâ mobilitate vigens
Evinces Pilios annis. Tibi sicq; repulsus
Contra vim mortis RASTRA sacrata dabunt.

BERNARDUS de Howle HOWEL, Burgrabides Cracoviensis, Auditor Rhetorices.

XX.

SOl ipſi Eccleſiæ ſuppono incipis radiare, nec ceſſas uſu vive.

SEnſum quem pando nullus *ſuppono* negabit,
Nam verum de Te PRÆSVLE narro Novo
Quod *Sol Ipſi Eccleſiæ* ades fulgentior Aſtris,
Quæ corruſcanti continet axe Polus.
Incipis ecce Sacras ut ſol *radiare* per ædes,
Nec ceſſas lucem ſpargere Celſe Tuam.
Vſu cunctorum longævus *vive* bonorum,
Atq; ſerenatos, duc ſine nube dies.

RAPHAEL de Wittowo WITTAN, Decanus Sandecenſis, Auditor Rhetorices.

XXI.

EN ſolers es Lynx, viva provide paci, aſpice pios Cives ſine Caſu.

EX oculis Lyncis fertur vis magna videndi,
Hoc in Te donum, mentis Ocellus habet.
En ſolers es Lynx immo ſolertia *viva*
Provideas paci, quæ ruit ecce dolens
Aſpice quæſo *pios Cives* mœſto *ſine caſu*,
Et devota Tibi, pectora PRÆSVL ama.
Cernet poſteritas venturaq; ſæcla ſtupebunt,
Ex multis quantus LIPSCIVS unus erat.

MARTINVS de Przybysławice ORACZEWSKI, Burgrabides Cracovienſis, Auditor Rhetorices.

XXII.

DEris o ſcelus à viſu PRÆSULIS, ac Vindicis nec Spei ope JOANNES.

PLùs licuit, si quando Tibi patrare nefanda,
Nunc nil, ecce *peris o scelus* atq; nefas.
A visu nostri venerandi *Præsulis* almi,
Ac justi semper *Vindicis* ecce peris.
Iam non consurgas *nec* tecum cornua tollas,
Nec fortuna *spei* Te tua servet *ope*.
Virtus io canes virtus super Astra fereris
Crimina IOANNES, atra sub antra fugat.

FELICIANUS de Ropkowa STROSKI, Venatorides Czerniechoviensis Auditor Rhetorices.

XXIII.

INijcio salve Pindi Præses, canas supplex voveo sis Vice-Rex.

INgrediens PRINCEPS vix passum sistis eundo,
Inijcio salve, Pallas amica Tibi.
Tuq; simul, mecum geminati Delphice *Pindi*
Votivum carmen, *Præses* ovando *canas*,
Non aliud quam dum *supplex voveo* Tibi PRÆSUL,
Sis Vicerex Regno Magne Senator ei,
Hinc Supremus eas ad celsa Cacumina Romam,
Ac inter trabeas Purpureusq; nite.

ALEXANDER de Ożarow OZAROWSKI, Canonicus Livoniæ Auditor Rhetorices.

XXIV.

SIs uni Poloniæ à svasu decus pernici ocyus i per excelsa Ipse.

SArmata Divorum lustrabas Ipse Senator,
Ut Patriæ Numen Numina sacra darent.

Sis igitur templis *uniq;* *Poloniæ* in iſtis
Caſibus *à ſvaſu* conveniente Polo
Pernici Tutor *decus* almæ Gloria gentis
Ordine turbato non patiente moras
Ocyus i PRÆSVL, curras per pectora Regum
Perq; *excelſa* Ducum Conſus ut *Ipſe* vigil.

ANTONIVS PAPROCKI,
Venatorides Goſtenſis Rhetorices Auditor.

XXV.

COronas Vavelli Pius accipis nivei, PRÆSES ſedes poſcis vince.

COndecorant variis Reges ſua tempora vittis,
Et portant manibûs fulgida ſceptra ſuis
Tu Clero quoniam dominaris ſume *Coronas*
Vavelli nivei quas gere fronte Tuâ.
Pro Sceptro *Pius* imperioſo tumq; colendo
Accipis o *PRÆSES* Pontificale Pedum
Quamvis Præſuleas *Sedes* non *poſcis* honorus
Te tamen invitum *vince* precatur honor.

IOSEPHVS de Witowice
CZERNY Capitaneides
Parnavienſis, Pöëſeos
Studioſus.

XXVI.

O SUPERI Cracius EPISCOPUS en in Valvas Eccleſiæ inis poſſide.

O *Superi* Vobis ſint grates omne per ævum,
Quod Tanto nobis PRÆSULE fertis opem,
Et ſibi ſint grates *Cracius* quod *Epiſcopus* ádſis
Adq; Tuas properas Paſtor amandus oves.
En Valvas Eccleſiæ inis Tu magne IOANNES,
Mox Tecum nobis gratia cuncta ſubit,

Poſſi-

Possideas Celsus Cathedræ penetralia sacra;
Et faustè Sedem sic moderare Tuam.

ALEXANDER de Gurow
GUROWSKI, Vexilliferides
Calisiensis Pòëseos Studiosus.

XXVII.

Pie Pan es pijs, accessus è Coronis Vavelli unio Care ipsis decus.

Pulso leves Craci de pectore sponsa timores,
Nam *pie Pan* arces à grege Marte lupos,
Insuper *es* que *pijs accessus* ad intima cordis
Ad quemq; est animus fronsq; serena Tibi.
E Regum prodis PRÆSVL venerande *Coronis*
Vavelli trinis *unio Care* venis.
Quæ dum nativo in Patria splendore coruscant
Pulchrius ast *ipsis* es *decus* alme Pater.

ADAMVS de Bogusławice
SIERAKOWSKI, Dapiferides
Zakrocimensis Pòëseos Studiosus.

XXVIII.

Ais Præses Ei io cane, venis pax populis, is Crux nævis adi.

Ais quid dico tibi Parnassi *Præses* Apollo,
PRÆSVL venit, *Ei* suavius *io cane*,
Carmine psalle, *venis populis pax* cura salutis,
Is & *crux nævis* & probitatis amor.
Altum Vavellum venerandus dum pede calcas,
Sedes ipse Tibi mox Vaticanus ades,
Hinc honor ecce Tibi ex se jam dabit Ipse scabellum
Summa celer voveo culmina faustus *adi*.

IGNATIUS de Lubraniec
DĄBSKI, Ensiferides Inowra-
cłáviensis, Studiosus. Pòëseos.

XXIX.

Sic plaudens pene vi præcipis Aonijs locis, ſvaves voces ſcire.

SOl oriens olim vi ſolvit Memnonis ora,
Vt plauſus ejus eliciendo canat;
Sic Tu nunc *plaudens pene vi* corda penetras
Præcipis Aonijs carmina ferre *locis*,
Et quis nam *ſvaves* ſe *voces ſcire* negaret,
Quis taceat Phæbô Te radiante ſuô,
Dumq; Tui ſacrum reniteſcit lumen honoris
Memnon nunc nullus, mutus adeſſe poteſt.

PETRVS de Konáry KONARSKI, Tribunides Oſvecimenſis Studioſus Pòëſeos.

XXX.

QUi ſapis, cui venis ſucceſſu proſpero pie Deli en Aoniæ claſſi.

Cùm celebrem ſtudijs Vrbem conſcendis amænus
Delius ac Muſis diceris eſſe Tuis.
Hinc *cûi* quæſo *ſapis*, venerandus *cûi venis* inquam
Succeſſu grato *proſper* in Orbe ſatis.
Si quis ſcire cupit venias cur *o pie Deli*
En Tu reſpondes, Sponte benignus ei
Aoniæ claſſi quæ navigat ad mea RASTRA
Siſto Favonius huc flando favore meo.

IOANNES de Biberſztyn STAROWIEYSKI Venatorides Oſvecimenſis Studioſus Pòëſeos.

XXXI.

RUpes Vavelli ac Parnaſſi edicens EPISCOPO Succeſſus i in.

Ru-

R*upes Vavelli* decorat quem trina Corona
Ac Parnaßi in qua turba Nouenna salit
Edicens & *EPISCOPO* ovans meritis decorato,
Succeßus faustos, sæĉlaq; mille precans,
Iam non Threicium velox Orphêum comitare,
Ast Hunc qui mirè pectora nostra ciet
I celer *in* plausus & læta tripudia formes,
Sicut Io gaudens nobile pandis Ei.

CANTIVS de Gołuchow GO-ŁUCHWOSKI, Camerarides Granicialis Vislicienſis,

XXXII.

A Dvenere, Classes, es eis spes viva pacis, vici pronus cecini Polo.

A Bsit ut avulsæ pereant sine littore naves,
Dum Tua RASTRA manent optima meta ratis
Illuc *advenere* citò *Claßes* Studiorum,
Sic *es eis* Tu *Spes viva* fatentur ovant.
Nam simul es venturæ *pacis* spes bona cunctis,
*Vici*sti quævis strenuus ipse mala,
Hactenus hæc *pronus cecini* Tibi cætera pandet,
Totô Fama volans æthere nota *Polo.*

ANTONIVS de Ianowice CHWALIBOG Venatorides Votchinenſis, Pòëſeos Studioſus.

XXXIII.

C Ecinere sic viso Juvenes plausus pacis ex Parnasso piè Delij.

C Ondigne vix quando cui *cecinere* Camænæ,
Quam Tibi *sic visô* PRÆSVL amande modô.
Palladij, *Iuvenes plausus pacis* referentes,
Festivos geminant instituendo Choros.

 Quos

Quos *ex Parnaſſo* deferre *piè* Tibi debent.
Delij ut & plaudat, turba novenna canens,
Dum ſimul & populi concurſus militat omnis,
Convenit ex Solio ſcandat Apollo ſuo.

ANTONIUS de Radomie
RADOMICKI, Palatinides
Becenſis, Pöëſeos Studioſus.

XXXIV.

Occine ſic vexere Pio Claſſes onera applausûs è Pindi ſui vijs.

Omnibus in terris reſonans clangore tubarum,
Occine fama precor publica facta Viri,
Cûi *ſic devexere Pio Claſſes onera* alma,
Applausûs celebris, quem dedit ipſa cohors.
Non aliunde tripudia deduxêre triumphi,
Necnon argutos arte dedêre ſonos
Aſt *è Pindi* Sede *ſui cûi* præſidet echo,
Quæ medijs Mundi plaudit ubiq; vijs.

CASIMIRUS de Petriczyno PE-
TRICZYN Dapiferides
Nocenſis Pöëſeos Studioſus.

XXXV.

AIvas cupio DUX Polonis ſceleri vires acie appenſi enſis ſeca.

AEſta dies Lechicis largos accendat ab alto,
Caſta ſuis ut ſit Patria clara viris.
Clarior eſſe nequit, quam quando LIPSCIUS ipſi
Luceat in multos PRÆSUL ab âxe dies.
Hinc *vivas* o *DUX* cupio memorande *Polonis*,
Patria namque Tuis clara diebus erit.

Seu

Sêu *sceleri vires acie appensi* abstrahe pravas
Ensis sêu obices, à pietate *seca*.

VALENTINUS de Gurzyno
GURZYNSKI Dapiferides
Nurensis, Pòëseos Studiosus.

XXXVI.

I PRÆSES rupis Aoniæ, concine plausus cie pijs voces ex ludis.

I *Præses rupis* pariter cum Præside, Musæ
Ibimus *Aoniæ* Rege movente pedem.
Nos Comites erimus constantes Patris amandi,
Quadrat ut assistat docta Minerva Iovi.
Concine Clio precor dignos Antistite *plausus*,
Palladis ut studio, Te comitante mees.
Ergo *cie* festiva *pijs* solatia *voces*,
Ex ludis PRÆSUL gaudia multa feret.

DOMINICUS de Krozlowa
PINIAZEK Pòëseos Studiosus.

XXXVII.

E de Ecclesia plausus in Sponsi accessu, suspiria evince pij oro.

E de Sacros Craci festiva *Ecclesia plausus*,
Quando Tibi Sponsus gaudia mille tulit.
A scapulis pendet Murex, à fronte Coronæ;
Illuxitq; comis Phæbus in Orbe Tuo.
Deliciæ pulchro faciem pinxêre perennes,
Ordine tanta facit disce IOANNIS amor,
In Sacro *Sponsi accessu suspiria* condens,
Nunc *evince pij* vocibûs *oro* meis.

STANISLAUS Comes *in Wisnicz, Iarostaw, Koniecpol, Szárogrod & Iazłowiec LUBOMIRSKI, Palatinides Sandomiriensis, Capitaneus Sandecensis, Studiosus Grammatices.*

XXXVIII.

XXXVIII.

Zexere Juvenes laurîs Polonís paſſus EPISCOPI, ac DUCIS aciei.

Zon nova crede Tibi PRÆSUL *nexere* trophæa,
Qui verſu Mitræ ſerta tulêre Tuæ.
En *Juvenes lauris* plantas cingendo *Polonis*,
Vt Totus faciunt, jam redimitus eas
Paßus nullus *EPISCOPI* erit, quem linquat amica,
Ac quem non lambat Laurea nullus erit.
Hæc mandata *Ducis* doctæ fuerant *aciei*,
Vt greſſus poſſent cingere ſerta Tuos.

IOSEPHVS Comes *in Wiſnicz &c.*
LVBOMIRSKI Palatinides Sandomirienſis, Capitaneus Iaorlicenſis, Studioſus Grammatices.

XXXIX.

SI nunc eſſes Pericles, dic cor es Poloniæ vivax, ſis appia vive.

Si pro *nunc eſſes Pericles dic* voce ſonorâ,
PRINCIPIS in laudes omnia corde data.
Quod ſiquidem *cor es* atque *Poloniæ* ades benè *vivax*,
Nam conſtat Regnum, Te ſine poſſe mori.
Inter bellorum flammas & fulmina Martis,
Quæ contra Lechiam tempora dira cient.
Tu procuras ut *ſis Appia* vera triumphi,
Ergo conſilijs *vive* Polona Salus.

IOSEPHVS de Piegłow PIEGŁOWSKI, Caſtellanides Oſvecimenſis, Studioſus Grammatices.

XL.

Ivi è Parnaſſo conſcius, cecini Ei Salve, Sol, DUX, ſpes pauperiei.

Ivi

Ivi Majorum per laudes Magne Tuorum;
PRÆSVL quò ſudor, largus adire nequit.
Ivi è *Parnaſſo* laudator *conſcius* atque.
Mox *cecini* plenum Relligione Patrem.
Sum modulatus *Ei Salve Sol* auree terris,
Quas recreas nitidis irradiando comîs.
Salve *Dux*, Salve miſeræ *ſpes pauperiei*,
Quæ ſibi ſubſidium, Te miſerante capit.

FRANCISCVS de Otffinow OTFFINOWSKI, Capitaneides Szczercovienſis, Studioſus Grammatices.

XLI.

Sedis Auſoniæ excipe PRÆSUL locos, ſive ini PRINCEPS vivax.

Sacram Vavelli quando conſcendis in ædem,
Non hic aſcenſus credito meta Tibi.
Sedis & *Auſoniæ* ſublimes *excipe Præſul*,
Virtutum radijs ſplendidus opto *locos*.
Illuc *ſive* celer quò tantùm culmine ſummus,
Surgit honoris apex, plùs venerandus *ini*.
Dum *PRINCEPS* Cleri dum *vivax* regula morum,
Nunc coleris, poſthac Te Rota ſacra vehat.

FRANCISCVS de Piegłow PIEGŁOWSKI, Caſtellanides Oſvecimenſis Studioſus Grammatices.

XLII.

Deli Parnaſſi Pieriâ ope, leva vocis epinicion, ſecus ſucceſſus.

Deli Parnaſſi Cytharâ, qui ludis amænâ,
Adſis *Pieriâ* comptiùs uſus *ope*.
Atq; *leva vocis* gaudens *epinicion* altæ,
Et *ſecus* Aonios, jam modulare modos.

 Occi-

Occine *Successus* Illi quem publica fama,
Cracia quem Sedes, Metropolisque colit.
Auspiciô faustos ut ducat LIPSCIVS annos,
Gemmatos teneat sorte fluente dies.

MICHAEL de Otffinow OTFFINOWSKI, Capitaneides Szczercoviensis Studiosus Grammatices.

XLIII.

Vicina per pascua prosiliens pascis oves, vel sine cæde sic vis.

Vix Cracium Pastor veniens conscendis ovile,
Excubias peragis, nocte dieq; Vigil.
Nunc *vicina* Diœcesis *per pascua* solers.
Prosiliens spectas pabula digna grege,
Sollicitans ipsis escam curando salutis,
Pascis oves proprias *vel sine cæde* foves.
Et *sic* insomnis vigiles *vis* ducere curas,
In tuto positas, ut tuearis oves.

STANISLAVS PODOWSKI, Subcamerarides Rosanensis, Studiosus Grammatices.

XLIV.

Xenia vexêre Poloni suspice Jasonidæ, cujus? PRÆSULIS pacis.

Xerxes fert *Xenia* hæc læti *vexêre Poloni*,
Vt noscas hilares, qui Tibi dona ferunt.
Suspice Iasonidæ generosi corda dedêre,
PRINCEPS tam Vellus nobile sume precor,
Quærere non cupio? *cujus* sunt talia dona,
Præsulis illa videns *pacis* & esse Tuæ,
In plausus etenim totos abducis amores,
Musarum totus Nobilitatis Amor.

ANTONIVS de Nidek NIDECKI, Capitaneides Hysinensis, Studiosus Grammatices.

XLV. Si

Si ſapies Claſſis Novodvorſcia ecce percipe, Ei veni in plauſus.

Salve PRÆSVLEO populus dum pandit honori,
Applaudensq́? cohors dum comitatur Eum.
Et tu *ſi ſapies Claſſis Novodvorſcia* perge,
Excurrens lætos *ecce* ciere ſonos.
Percipe quanta teneris *Ei* ſtipendia laudum,
Vellificansq́; *veni* navigiumq́; move;
In plauſus celebres extende tumentia vela,
Ad tua felices Claſſica verte Notos.

ANTONIVS de Horagwica
ŁODZIENSKI Pocillatorides Oſvecimenſis Studioſus Grammatices.

XLVI.

En aſpicias es Solij decus, ecce Poloni ac unus Cræſus pauperiei.

En dum ſacra Tuam gemmans tenet Infula frontem,
Temporibuſq́, Tuis Cracia Mitra datur.
Aſpicias quantam gerit hinc Sarmatia, ſortem,
Te Regni Columen, Te venerando Patrem.
Es certè magnum *Solij Decus*, *ecce Poloni*,
Quod mæſtum per Te dulce ſolamen habet,
Ac unus Cræſus funeſtæ *pauperiei*
Diceris, ergo Tuum Nomen in Aſtra feret.

MARTINUS de Tagoborz
TAGOBORSKI Vexilliferides Czerniechovienſis, Studioſus Grammatices.

XLVII.

Voveo Craci Pallas, vive ſanus ſocijs, Pie PRINCEPS Seneſce Dijs.

Venabor modulos, Cytharam, plectrumq; fidesq;
Dulcis Musa tonans, ut sit Apollo Tibi.

Cantabo sacrô dignos Antistite versus,
Cùm *Voveo Craci Pallas* amica Iovi.
Vive diu *Sanus socijs Pie* sæcula *PRINCEPS*,
Ad primas donec Magne Senator eas,
In Violis verna inque Rosis per lustra rubesce,
Post redolens annis mille *Senesce Dijs*.

IOANNES de Łętow ŁĘTOWSKI,
Subdapiferides Wielunensis, Studiosus Grammatices,

XLVIII.

EPISCOPO Valvas aperis o Ecclesia vinces census præsidij à nisu.

En ut *EPISCOPO* eunte suam conscendere Sedem,
Magnificas portas Cracia pandit Ales,
Mox *aperis Valvas* Vavelli *Ecclesia* celsi o
Pontifici Cathedram reddis ovando suam,
Vinces adversos casus *censusq;* retentos,
Si quos arcta manus restituisse negat.
Præsidij à nisu vigilans quod Pastor habebit,
Fortunæ stabiles experiare dies.

LVDOVICVS de Rudze
STRZAŁKA Bürgrabides
Cracoviensis, Studiosus
Grammaticæ.

XIL.

Rependis voce, sive sonis, Cracij EPISCOPI plausus navales cies.

Respondes votis quando bene facta *rependis*,
PRÆSVLIS ad gressum *voce* Camæna novi.

Non

Non eſt poſſe Tibi gemmantia munera ferre,
Tunc placeat verbis, plaudere *ſive ſonis*
Craciÿ EPISCOPI in hanc Vrbem Præſentiâ felix,
Applauſus quoſvis exigat arte novâ
Cùm das *návales plauſus* Novodvorſcia Claſſis,
Tunc tibi fortunæ celſa trophæa *cies*.

VLADISLAUS de Korábniki
WAXMAN, Venatorides Laticenſis Studioſus Grammatices.

L.

I Vavelle occine PRINCIPIS pœana, edic poſſeſſus ſis, Cor vives.

In pœana Sacrum qui is Apollinis auxit honorem,
Strinxerunt Genium ſæcla vetuſta ſuum,
Tu memor *i* velox moris *Vavelle* venuſti,
Cracius ecce Novus PRÆSVL Apollo venit.
Occine PRINCIPIS in plauſus *pœana* celebrem
Edic poſſeſſus ſit Tibi ſemper honor,
Sis ut *Cor*, populi Cleri Decus atq; Corona,
Vives Te ſolus vivificabit amor.

STANISLAUS KORYCKI,
Pocillatorides Buſcenſis, Studioſus Grammatices.

XLI.

H des Craci inis, eas Vavelli ſic Coronis unio es, puppes ſuſcipe.

H *des*, templa, Domos, *Craci*q; repagula pulſas,
Præcedunt Charites Tu quoq; blandus *inis*
Panduntur portæ, plauſus dant tecta Penates
Et cordis referunt intima PRÆSVL eas

PRÆSVL *eas Vavelli sic* accede *Coronis*:
Vnio Tu Regnis *es* pretiosus enim.
Ac ubi Præsuleum licuit contingere portum,
Palladias *puppes suscipe* Classe Tuâ.

MICHAEL de Gołuchow GOŁVCHOWSKI, Camesarides Granicialis Vislicensis, Studiosus Grammatices.

I
INI
ININI
INICINI
INICECINI
INICECECINI
INICECINI
INICINI
ININI
INI
I